

MATERIA VENENARIA REGNI VEGETABILIS



AVCTORE

IOANNE GEORGIO PVIHN

MED. DOCT. ET PHYS. PROV. CVLMBACENSIS.

LIPSIAE

APVD C. G. HILSCHERVM

cIↄIↄcclxxxv.



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO FRIDERICO CAROLO ALEXANDRO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO BORVSSIAE SILESIAE MAGDEBVRGI CLIVIAE IVLIACI MONTIVM STETINI POMERANIAE CASSVBIORVM ET VANDALORVM MEGAPOLEOS ET CROSSAE DVCI BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI SVPERIORIS ATQVE INFERIORIS PRINCIPATVS PRINCIPI HALBERSTADII MINDAE CAMINAE VANDALIAE SVERINI RACEBVRGI ET MVRSIAE COMITI GLAZAE HOHENZOLLERAE MARCAE RAVENSBERGI SVERINI DYNASTAE RAVENSTEINII ROSTOCHII STARGARDIAE COMITI SAYNAE ET WITTGENSTEINAE DOMINO LIMBVRGI REL. REL.

CIRCVLI FRANCONICI CAPITANEO ET SVMMO CASTRORVM PRAEFECTO AVGVSTISSIMAE ROMANORVM IMPERATRICIS GENERALI EXCVBIARVM MILITARIVM PRAEFECTO POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS SVPREMO BELLI LEGATO TRIVMQVE EQVESTRIVM LEGIONVM TRIBVNO REL. REL.

PRINCIPI AC DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

PATRIAE PATRI INDVLGENTISSIMO

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME!

Studiorum primitias cui conſecrarem, res longae deliberationis non fuit. Cuinam potius, quam TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, cuius ſummis beneficiis maxime obſtrictum me ſentio. Sed minus eſt expedita quaeſtio, hae an dignae ſint, quae tanto PRINCIPI offerantur? In hac ambiguitate conſtitutus memet ipſum temeritatis vix condonandae adcuſarem, niſi cum ſingularis indulgentia et amor, quo ciues TVOS amplecti ſoles, tum laudatiſſimum inſtitutum litterarum amorem in iisdem

inflammandi earumque ſtudia iuuandi ſpem laetam mihi facerent, TE primis diligentiae fructibus benigniſſime indulturum eſſe. Longe ſane maiori iure reprehendendus eſſem, ſi excelſas virtutes TVAS laudandi officium, cui explendo non par ſum, mihi ſumerem; hancce enim ſcriptiunculam qualemcunque TIBI tradens non niſi teſtimonium quoddam publice edere volui animi pii, grati ac reuerentia pleniſſimi, quo aeternum ero

SERENISSIMI PRINCIPIS,
DOMINI CLEMENTISSIMI

ſubiectiſſimus deuotiſſimusque
Auctor.

PRAEFATIO.

Ad ſtupendos effectus producendos, quid efficere valeat Natura, in venenis experta eſſe quum videatur; facile quilibet perſpiciet, quae ſit illorum rite cognoſcendorum

 neceſ-

neceſſitas. Horum enim adcurata cognitio non modo a noxa, quam, nulla ſaepius arte reparabilem, ſanitati et vitae noſtrae inferunt, nos defendit; ſed maximum etiam, quem medicinae, oeconomiae, technologiae cet. praebent vſum, nos docet. Aſt ſuperfluum eſſet, quanti momenti haec naturae effecta ſint, fuſius demonſtrare, quum ſumma doctiſſimorum virorum diligentia, quam in corpora haecce impenderunt, hoc ſatis teſtetur mihique huius negotii otium faciat. Praeter alios celeberr. I. F. GMELINVS de hoc argumento bene promeruit, vtpote qui obſeruationes aliorum et experimenta de hac re capta diligenter collegit et

con-

concinne fuſeque vnacum characteribus corporum naturalium in variis libris *) expoſuit. Quae conſideranti repetita venenorum, quamquam non niſi vegetabilium perluſtratio forte ſuperflua videri poſſet. Sed variae ad hocce molimen me adduxerunt rationes. Commodiori nimirum, quam quae GMELINO placuit, methodo, *Linneana* **) illa quidem, quae ſimul breuitate ſe commendat, venena proponi poſſe arbitratus ſum. Non nulla etiam GME-

*) Allgemeine Geſchichte der Gifte. 1776.

- - - Pflanzengifte.

- - - mineraliſchen Gifte.

**) Vid. C. a Linné Mater. Medic. edit. IV. cur. I. C. D. SCHREBER. 1782.

LINVS venenis regni vegetabilis adnumerauit innocua, vix vllo ſigno ſuſpecta; plures autem plantas, quas in venenatarum numerum recipere nullus plane dubito, quamuis aliquas illarum mortem cuidam animali intuliſſe hucusque nondum ſatis conſtet, omiſit vir doctiſſimus. Variae enim cauſſae huiusmodi effectum praepedire quidem, ſed fortaſſis non ſemper et vbique tollere potuerunt. Tam parua doſi ſaepius ingeruntur aut externe adplicantur, vel in ea valetudinis conditione et tempore, vt animalis naturae viribus leuioribusque remediis ac euporiſtis facile ſuperentur toxica. Sub coelo, inprimis calidiore, multae proueniunt plantae

eaeque

eaeque venenatiſſimae, quas mortiferos habuiſſe effectus nemo adfirmare poteſt, quia nimirum facie externa et ſaepe magis adhuc odore ſaporeque virulentiam produnt, vel virtute nociua famoſae antiquitus ab omnibus fugiuntur. Quis vero praedicere audebit, eas et impoſterum neminem in vitae diſcrimen adducturas eſſe? Ex his itaque elucet, eam ob rem plantas nondum a venenis excludendas eſſe, ideo quod illas mortis cauſſam exſtitiſſe nondum conſtet. Sed et multas celeberr. GMELINVS praeteriit, quarum lethales effectus cogniti ſunt, quo e. g. referre liceat *Gratiolam officinalem*, cuius funeſti effectus in Gallia obſeruati ſunt, *Crocum officinalem*

nalem cet. cet. variasque nouiter demum detectas. Namque nec ſuperfluum, nec incongruum; ſed maxime conſultum et proficuum duxi, vel ea huc referre, quae vt venena minus adhuc innotuerunt, dum hoc modo, teſte proh dolor! experientia, eo certius inſcium opprimunt, quo minus ea auerſari ſolet. Dabam Culmbaci menſ. Octobris MDCCLXXXV.

In genere Venenum corpus dicitur, quod animalem naturam in peius mutat, ea ratione, vt effectus, inde oriundi, corporis adplicati nec massae, nec externo impulsui debeantur. Secundum hanc definitionem medicamenta, sano corpori adplicata, in latiori sensu semper venena dicenda sunt, quum tanquam sanum non in melius, sed in peius potius mutari possit. Pharmacon itaque (quae ambigua vox est) non, nisi respectu aegroti corporis bonum, i. e. medicamentum nominari potest. Verum vel alimenta [1] (quae a pharmacis, corpus nutriendo, differunt) multa et varia, posita hacce veneni notione latiori, venena esse possunt. Strictiori autem sensu, missa aliarum definitionum reprehensione, id corpus venenum pronunciandum existimo, quod ope principii singularis, vel narcotici, vel acris, vel vtriusque, vel alius igno-

1) Quod quidem eo verius est, quo pluribus alimentorum instar vtimur, in Materiam Medicam, aut saltim ad aromatum, quorum abusus valetudinis robur labefactat, classem ablegandis.

ignoti[2], aut vi mechanica, intus adplicata, corpori animali, etiam ſano, mortiferos inferre valet effectus, nec a pondere, nec a volumine intus adſumti, ſeu alio modo adhibiti dependentes; ſiue, vt breuius rem expediam: corpus, quod non mole, ſed vel ingeſtum vi mechanica, vel varia ratione adplicatum, principio quodam ſingulari, ad nutritionem inepto, naturam animalem deſtruit, venenum eſt. Hac defini-

2) Toxica ſagittaria, de quarum ſpecie maxime notabili Illuſtr. SCHREBER, fautor et praeceptor omni pietatis cultu aeternum proſequendus, fuſius diſſeruit, (vid. *Naturforſch* 19 *St. p.* 129.) et quae per vulnus cruentum adplicata, exceptis, quos interdum obſeruare licet, motibus aliquot conuulſiuis, ſine magno, vt videtur, dolore, minuto temporis primo nondum elapſo animalia occidunt, non amara, vrentiſſima, calefaciente qualitate ſua, quam deguſtata linguae imprimunt, quaue ſenſiliores partes illaeſas inflammant, agere, perſuadere mihi nequeo; etſi determinari non poteſt, cur horum acredo hac, neque alia ratione operetur. Veriſimillimum eſt. vaſa ſanguifera per conſenſum neruorum, qui inter ea eſſe videtur, ſubito conſtringi, ſicque humorum circuitum tolli. Idem conſenſus vaſcula lymphatica inter et glandulas eſt: vna enim glandula tumente, etiam caeterae tument; quod vt in aliis morbis, ita et vaſe lymphatico per inſtrumentum venenoſum laeſo adcidit. Intumeſcunt tunc praeter partis adfectae inflammationem, febrem cet. etiam omnes glandulae. Succorum morboſa mutatio (namque venenum huiusmodi cum ſanguine tepido e vena miſſo mixtum cruoris a ſero ſeceſſionem, atque coagulationem impedit) tam ſubitae necis cauſſa eſſe non poteſt, ſiquidem ſanguis e vaſis iugularibus animalis cuiusdam toxico hocce laeſi et moribundi eductus, naturaliter conſtitutus adparet, ſerumque a cruore ſecedit.

definitione excluduntur cum alimenta; tum medicamenta multa, inprimis minus efficacia, quae magis nutriunt et debiliora ſunt, quam quae corpus noſtrum, quod innumeris iniuriis impune ferendis, ſat firmum conſtruere naturam oportebat, peſſumdare poſſent. Heroicorum autem medicamentorum numerum non paruum e Materia Medica, iam aliis praeeuntibus huc transferendum eſſe cenſeo; res enim, quae rite adhibita medicamentum eſt, eam ob cauſſam non deſinit eſſe venenum, quum omnino pauca venena, abſolute et per ſe, ſed ſub quibusdam tantum conditionibus, talia dici queant [3].

Eſt autem venenorum regni vegetabilis, ſeu plantarum venenatarum, quales vbilibet fere

 proger-

c) *Abſolutum venenum* nominandum arbitror, quod ſub qualibet conditione perimere valet. Quod iterum vel *ſimpliciter abſolutum* (panaceae, in rerum natura non exiſtentis, oppoſitum) eſt, vel non. Hoc aut tantum interne, aut tantum externe adplicatum abſolute mortem infert; illud vtroque modo. Venenum vi ſubtilitatis maxime penetrabilis, omnes corporis aditus perrepens, ſemper certe letiferum exiſtere poteſt, vel vere eſt. Quod quidem vel ita necat, quod ob celeritatem, qua agit, maximam omne, quod ferendum eſt auxilium, etiam praeſentaneum et conuenientiſſimum, ſerius iuſto adplicetur, ſolaue prophylaxi, proſapiae toxici oppoſita infringendum; vel cui, nullius quoque prophylactices capaci, nullum antidotum eſt, aut nos ſaltim adhuc latens. Quaedam aëris ſpecies et animalia venenata, forte et vegetabilia huc pertinere videntur.—— Plurima venena relatiua ſunt.

progerminant, numerus ſane non paruus, vel ſolum nobis cognitarum; eoque ipſo, vt reliquorum Regnorum venenis vulgariora, cumprimis attendi merentur, ne ignorantiae poenam luere oporteat, dum iam innumera teſtantur exempla, quam ſaepe toxicae plantae ab inſciis pro ſalutaribus habitae, in cibum receptae, vel cum iis commiſtae et confuſae ſint.

Praeter characteres, quos Botanica nos docet, plerasque plantas venenatas etiam aliis, ab innocentibus plantis natura diſtinxit ingenii noxii notis, plus minusue perſpicuis; in quibus tamen cognoſcendis bruta, inprimis quorum indoles conſortio hominis nondum mutata eſt, vt et populi inculti multum ſuperant homines cultiores in ciuitatibus viuentes, in quibus ſenſuum aciem nimia rerum varietate et abuſu infractam obſeruamus. His adcedit, quod plurimi homines plantarum, quae tamen maximam alimentorum partem erogant, notitiam nimis negligant, dum alii rei herbariae magis ſtudioſi, et forte etiam bruta, quae praecipue plantis aluntur, ſaepe ſolo habitu infidas agnoſcunt. Attamen color, ſapor, odor, ſenſatio, ſeu labes qua ſuperficies corporis adficitur, praecipua malignitatis exhibent criteria. Quam ob rem brutorum, inprimis delicatiorum (caprae cet. multas, aliis animalibus deleterias, plantas impune carpunt) actiones fidiſſimo ſaepe ſuſpectarum plantarum indicio ſunt;

idque

idque eo magis, in quo pluribus eiusdem ſeu alius generis ſiue claſſis animalibus, auerſatio illa obſeruatur, quae ſuſpitio confirmatur, ſi nonnulla bruta cauſſis quibusdam impulſa in detrimentum ſuum atque perniciem herbas iſtas deſiorarunt. Alia criteria etiam familiae et adfinitates plantarum, chemia, et loci, quo vegetant, conditio cum reliquis collata, nobis ſuggerunt. Nonnullorum autem vegetabilium virus tam abſconditum latet, vt homines et beſtiae inde ſaepenumero decipiantur, nec id facile, niſi inſtitutis experimentis, manifeſtetur.

Vt omnino venena, ſic et in ſpecie vegetabilia (quae id cum mineralibus commune habere videntur, quod, vt regni animalis varia, non contagioſa ſint,) diuidi poſſunt in ea, quae mixtione (haec *chemica* dicere liceat), et ea, quae vi *mechanica* agunt. *Mechanicorum* in regno minerali plurima deprehenduntur; quaedam tamen et in vegetabili, quo referatur, e. g. *Panicum pungens* (Act. Hafnienſ. 1778. p. 285.) quod ariſtis abruptis cutique tractantis infixis eandem, ac Dolichos *pruriens* et *vrens* excitat moleſtiam, Carex *acuta*[4] (ſine dubio etiam aliae ſpecies), et praecipue Phalaris *arundinacea* — cet. quorum agendi modus cum illo Alu-

 minis

4) Hanc pecoribus incautis vel fame preſſis noxiam eſſe confirmat celeb. quondam apud Lipſienſes Oec et Cam. Prof. SCHREBERVS, in den *oecon. Samml. t. XI. p. 229.* et cel. BERNHARD *Abh. vom Wieſenbau p. 225. ſq.*

minis plumosi conuenit. Quae *mechanica* irritando, pungendo, lacerando, pruritus, dolores, inflammationes, spasmos, haemorrhagias, capitis et sensorii communis adfectus sympathicos cet. producunt; quam vim omnem a figura particularum, duritie quadam praeditarum, modoque illas adplicandi non plane excluso, dependere, inter omnes constat. An *chemica* cum his re ipsa conueniant, et sola subtilitate differant? dictu difficile est.

Chemica (aliis *physica* dicta) mixtione sua, vel naturali (i. e. indole), vel praeternaturali, vel varie praeparata agunt. Reliquis vulgatiora sunt indole sua agentia. Praeter naturam et alimenta et pharmaca mutantur vel constitutione morbosa, vt secale cornutum; vel putredine, qua aër mephiticus (seu modo vapor), qui etiam putridae indolis esse videtur, demum gignitur [5]; (qui tunc vt aër, ad regnum minerale amandandus erit, nisi quemlibet aërem ad illud regnum referre velis, quod ad illius genesin praecipue materiam praebet,) aut principium vaporosum, quod ante iam plantae inerat, nec aëris

5) Exemplo sit Crithmum *maritimum*, quod Anglis aliisque populis instar acetarii innocui est, quodue seminis siccandi gratia vna cum caule et foliis ex parte corruptis calidae fornaci impositum spirauit aërem, qui infantibus et adultis vehementem cephalalgiam, soporem, fastidium, vomitum, animique deliquium excitauit. Vid. Cl. I. KRAUSENS *erfahrungsmäſsigen Unterricht von der Gärtnerey. Berlin und Leipzig 1773. p. 723.*

aëris speciebus adnumerandum videtur, expellitur. Venena, e plantis varia praeparatiione educenda, sunt: resinae, gummata, olea aetherea et empyreumatica, alcohol, salia, in specie acida, concentrata, alcali fixum vegetabile causticum, camphora [6] cet. quorum alia potissimum foris per vulnus corpus ingressa; alia intus sumta cito aut lente machinam animalem destruunt.

Chemica venena regni vegetabilis sunt vel narcotica, vel acria. Illa sunt indolis maxime volatilis et penetrabilis, qua corpus animale, quamuis saepe magna distantia ab ipsis remotum, subire valent. Plerumque odore, grato aut fastidioso, se produnt; interdum tamen omnis odoris, saltim a nobis non percipiendi, expertia [7] corpori sese insinuant solis effectibus suis se prodentia. Et vim hancce halituosam, qua neruorum systema praecipue adficiunt, in toto regno vegetabili, cui etiam priuatiue competere videtur, semper esse vnam eandemque, licet in diuersis plantis diuerso modo aliarum particularum interuentu et commixtione mutatam, equidem arbitror. Alia narcotica solummodo foris, e. g. florum quorumdam

6) Camphorae Scrupuli duo adsumti delirium, idearum confusionem, temulentiam, debilitatem summam, conuulsionem, spumam ex ore prorumpentem induxere. S. T. DE MEZA *compend. med. pract. de venen. p. 3.*

7) Id de fungis nonnullis adfirmatur.

rumdam exhalationes [8]; alia cum foris corpus ingreſſa, tum ingeſta vires ſuas exſerunt, e. g. Crocus *officinalis*. Haec venena, quae pura omni acredine carent, praecipue ſenſorium commune petunt et adficiunt; adliciunt fluida ad caput, materiam nerueam conſopiunt, vertiginem, mutos capitis dolores, ſoporem cet. inducunt, facultates animi, ſenſus, inprimis viſus, et irritabilitatem labefactant, vel alio ignoto modo neruorum actionem interdum ſubito deſtruunt; et contra haec, inprimis deglutita, naturae vires, quamuis maxime vigentes, nihil valere videntur. Nonnulla autem, aeſtheterium conuellendo, ſenſus externos et internos turbant, ſanguinem commouent, motumque muſcularem augent [9], quod quidem praeter alios effectus, qui ſtupefacientibus fere tribuuntur, potius ab acri principio, quod vaporoſa plurima

8) An florum partes odoriferae maiori copia deglutitae eiusdem efficaciae ſint? experimentis decidendum eſt.

9) Exemplum huius rei opium praebeat, quod interne aut externe (in quo poſteriori caſu ſaepe celerius et vehementius operatur) adplicatum, cum paralyſin, tum ſpaſmum inducit. Hae conuulſiones, extremitatibus potiſſimum conſpicuae, effecta quidem (vt ſaepiſſime his in rebus adcidit) ſecundaria eſſe poſſunt, oriundae, dum ablata ab opio. vt variis partibus, ita et cordi irritabilitate, indeque circulo humorum cohibito, primum remotiorum partium vaſcula minora obſtruuntur, ſicque preſſione neruuli circumiacentes irritantur. Aſt in acri principio, quod opio ſimul ineſt, cardo maxime hic loci verti videtur —— Narcotica paralyſin, acria ſpaſmum producunt, alia vtrumque.

plurima ſibi adſociatum habent, deriuandum videtur; inde reſolutio humorum [10], dolor, inflammatio cum ſuis ſequelis, orgaſmus, haemorrhagiae cet. Attamen effectus ſemper variae proportioni, qua principium principio iunctum eſt, illorumque plus minusue aliis rebus inuolutorum maiori vel minori puritati reſpondebunt. Sed acria plura deprehenduntur cum nullo principio vaporoſo coniuncta, ſalua diuiſione in acria volatilia (non enim omne volatile ſimul narcoticum eſt, quod Rhus *Vernix*, *radicans* et *toxicodendron* teſtantur), vel magis fixa. Etiam id habent venena vegetabilia acria, quod, ſi languorem, tremorem, paralyſin partium inducunt, haec non ſtatim ſub initio, vt in vaporoſis, eueniant; ſed nimiam intenſionem virium motricium, nunc relaxatarum, ſequantur; et quod corpus in putridam reſolutionem vertant, alia minuto citius, vt Americanorum

 toxica

10) Quum ſciamus, morbis putridis, et quidem interdum diu ante eruptionem morbi, puſillanimitatem, languorem, triſtitiam praecedere, et pharmaca narcotica idem efficere omnesque functiones labefactare atque tunc humorum diatheſin putridam inducere: veroſimile eſt, materiam nerueam, rite conſtitutam, in debita humorum craſi conſeruanda multum valere; deprauatam contra dyſcraſiae, eiusque putridae geneſin adiuuare vel excitare. Adcedit, quod in morbis hiſce non modo acida, ſed et analeptica, roborantia, alexipharmaca et ſpirituoſa, mensque tranquilla et hilaris putreſcentiae humorum obſint. Atqui putredo humorum non cauſſa morboſae materiei nerueae, ſed effectus illius (aut acris veneni, vel vtriusque ſimul) eſſe videtur.

toxica ſagittaria, alia ſerius. Quibus magna vis et fluidorum et ſolidorum cohaeſionem diſſoluendi eſt, ſeptica, corroſiua nuncupantur. Venena ſtyptica, in quibus natura ſua nihil volatile ineſt, et conſtringendo, obturando dolores, inflammationes, ſpaſmos cet. inducunt, ex acrium ordine non quidem remouenda ſunt; deprehenduntur tamen validiora et frequentiora in regno minerali, e. g. variae aëris ſpecies et vapores acidi, qui ſenſiliſſimorum bronchiorum ramis ſpaſmum inferendo, extemplo interdum necant; plumbum cet. Acida concentrata et ſpiritus rectificatiſſimus, quos regnum vegetabile largitur, non ſtyptica, ſed gelatinam humorum coagulantia ſunt.

Sunt etiam alia adhuc venena acria; regni vegetabilis olea puto, atque vnguina, e. g. oleum oliuarum, amygdalarum, piſtaciorum, pinearum aliarumque nucum ac ſeminum, quae ſponte rancida euadunt, ſiue ignis ope empyreumatica. Vtroque modo fiunt tetra, amara, ardentia, ſeptica. Laedunt ingeſta digeſtionem, incendunt fauces, oeſophagum, ventriculum et inteſtina. Surgunt vehementes vomitus et diarrhoeae; tranſit pernicioſa acredo in reliquam humorum maſſam, inquinat iſtam febresque euoluit.

Cur narcotica non vias vrinarias, nec pulmones cet. ſed cerebrum praecipue petant? in quo acre, in quo ſtypticum conſiſtat? explorare,

rare, nobis datum non eſt. Differentiam, quae ſingula intercedit, et magni momenti in methodo medendi eſt, nos effectus docent.

Vtrum venena chemica magis, an mechanica corpus animale infeſtent? definiri vix poteſt. Haec, inprimis interne adſumta, licet in minora vaſcula non admittantur, ſibique ipſa viam ſaepius praecludant, tam intime partibus impacta haerent, vt nullo fere modo detergeri, inertia reddi et exturbari poſſint, pariter atque lentae mortis cauſſam exhibeant, vel gangraena et conuulſiones miſerae vitae finem faciant. Illa minimos quidem canaliculos diuerſarum partium: renum, cerebri cet. pro varia ipſorum indole intrant, ſubtiliſſima fluida turbant et inquinant intimamque ſolidorum fabricam diſſolvunt, et ſic quaſi radices vitae conuellunt. Verum enim vero gaudemus remediis minimas cavitates permeantibus, quibus perſequi illa valemus. In vniuerſum nil certi hic definiri poteſt.

Porro venena diſtribuuntur in *manifeſta*, quae certis ſignis cognoſcuntur, et *clandeſtina*, quae nihil ſuſpecti prae ſe ferentia, aut adeo ſenſibus noſtris blandientia, eoque ipſo vigiles naturae noſtrae vires conſopientia in corpus irrepunt illudque opprimunt, eoque iam laeſo demum patefiunt. — Alia tandem *acuta* ſunt, quae ſubito conficiunt; alia *chronica*, quae ſerius et lente vitam abſumunt. Quod quidem

diſcri-

discrimen tantum non semper a veneni prosapia, dosi, constitutione subiecti, cui, et loco, quo adplicatur, dependet.

Possunt diuersis viis animale corpus ingredi venena: *primo* deglutitione, *secundo* respiratione per os vel nares [11], *tertio* clysteribus, *quarto* resorbtione cutanea, *quinto* vulneribus [12], *sexto* iniectione in vasa vel cauitates quae scitu omnino necessariae sunt, dum his maior minorue venenorum efficacia ex parte respondeat. Alia enim tum interne, tum externe, alia tantum interne, alia externe tantum adplicata vita priuare possunt.

Illud tamen magis singulare est, quod non omne omnibus venenum sit [13], cuius phaenomeni

11) Etiam ope neruorum olfactoriorum et gustatoriorum, itemque cutem perreptantium encephalum adfici potest.

12) Quaedam per vulnus adplicata non, sed vasis ipsis infusa demum veneno sunt, e. g. decoctum Hellebori *albi*, spiritus vini simplex l. camphoratus, acida, oleum oliuarum. Verum est, haec necem arcersere inprimis circuitum humorum impediendo, nimirum vel fluidorum coagulatione, resolutione, expansione, vel parietes vasorum constringendo, aut paralyticos reddendo. Attamen irritatio, quam haec infusa sensibilibus vasorum parietibus imprimunt, ad sensorium commune propagata in phaenomenis explicandis negligenda non videtur.

13) Hoc etiam de brutis valet. Sic venenum est Phellandrium *aquaticum* equo, non oui, non caprae; Cicuta *virosa* vaccae, non equo; *saccharum* columbis; *Euphorbia* homini, nec Sphingi *Euphorbiae*; *Hyoscyamus* et

meni rationes variae eſſe poſſunt: 1° aetas, 2° virium digeſtricium robur varium, 3° liquoris gaſtrici et enterici conditio (ſecundum quam e. g. aceſcentes venenis narcoticis et putridis magis reſiſtunt), 4° primarum viarum mucus copioſe congeſtus, acria, irritantia inuoluens, 5° in genere tunicae inteſtinorum minus ſenſiles, 6° reliqui corporis humores euchymi l. cacochymi, tenaces, lenti, aquoſi, acres, putridi, cuidam pharmacorum ſpeciei obuerſi, 7° copia fluidorum, 8° diſpoſitio neruorum plus minusue ſenſibilium [14]), 9° conditio integumentorum, 10° conſuetudo.

Venena inſinuantur corpori animali ex triplici cauſſa: dolo, errore aut ignorantia. Quum modus huiusmodi facinus perpetrandi infinitus fere pluribusque forte ignotus ſit, remedia etiam illius impediendi enumerari nequeunt; multa tamen venenorum cognitio auertere valet mala. Saepe-

et *Mandragora* homini, nec porcis; his contra baccarum *Piperis nigri* (etiam muſcis lethalis) vel minor doſis. Et multa animalia venenatorum vegetabilium cibo vtentia homini noxium et exitiale alimentum praebent. Sed de his nunc non ſermo eſt.

14) Inprimis aegrotantium ſyſtema neruorum ſenſibilius, fibraeque muſculares irritabiliores ſunt; non tamen ſemper conſtitutio valetudinaria et morbus neruorum eſt, ſi nonnulli, cumprimis feminae, e. g. diuerſi generis odores difficile ferunt, et cephalalgiam, vertiginem, lipothymiam et conuulſiones inde experiuntur; ſed ſingularis naturae diſpoſitio, quam idioſyncraſiam vocant.

Saepenumero loco esculentorum aut medicamentorum in corpus nostrum deferuntur. Haec forsan optime praecauentur, si ab vrbis vel regionis superioribus cautum et consultum erit, vt cuiuscunque loci incolis plantae noxiae vel infidae ibi crescentes innotescant. Plantae eiusmodi, flore vel fructu praeditae, publicis locis suspendi possunt, maxime conuentibus et magna hominum frequentia. Iis etiam, quorum curae greges pecorum traditi sunt, illas monstrare earumque effectus narrare conuenit. Dantur enim plantae, e. g. Cicuta *virosa* cet. quae frequentius animalia bruta enecant, quam homines. Pastores eiusmodi pascua euitare, aut a plantis hisce, quantum fieri potest, purgare debent, inprimis si ipsorum gregibus noua, nec isti regioni adsueta pecora subinde adcedunt. Imminutio ipsa (non exstirpatio) harum plantarum in regione quadam copiosius crescentium, etiam multa damna arcebit.

Virus autem vegetabile, corpori animali iamiam illatum, se manifestat — ni subito iugulat, vt varia toxica telis adplicanda — variis (dum locum, cui admotum est; vel alias partes remotas siue per consensum neruorum, siue ipsum in illas transiens; vel totum corpus vario modo adficit) symptomatibus, et nisi per vias excretorias e corpore expellitur, nec a viribus naturae animalis subigi aut adsimilari potest, laesionibus (cadauere dissecto saepe demum

per-

perſpicuis) inductis, ad machinae animalis plenarium interitum vsque saeuire continuat.

Quod ad remedia adtinet; venena nonnulla, partim ob celeritatem, qua operantur, partim ob indolem ſuam ignotam, omnia auxilia reſpuunt. Venenis omnis generis ore adſumtis initio, vt et interdum in progreſſu morbi inde oriundi, educentia opponuntur: emetica vel purgantia cum magna copia fluidi cuiusdam aquoſi, oleoſi, in genere veneni ingenio, niſi illud medentem fugiat, adcommodati, pariter ac eiusmodi clyſmata.

Humoribus tandem veneno iam inquinatis, diluentia largiſſima doſi ingurgitanda ſunt. Narcoticis et putridis acida vegetabilia et mineralia, ſerum lactis cet. medentur, opio aliisque vehementioribus ſtupefactiuis praecipue Ipecacuanha et acidum ſalis dilutum fortiter reſiſtit, quibuscum analeptica, roborantia, veſicatoria, excitantia coniunguntur. Etiam Cucurbita *Citrullus* Opio opponitur; acribus et ſtypticis inuoluentia, omnis generis mucagines, lac vegetabile et animale, eademque olea non rancida, pinguedines, axungiae cet. Quorum autem acrimonia acidae indolis eſt, alcalinis refrenantur, e. g. Scilla *maritima*, Iatropha *Manihot* cet. cuius, vt et aliorum venenorum, antidotum Indi quidem Orleanam interne datam; alii piper crudum cum lactis cremore immediate ingeſtum laudant. *Ari* acredinem vinum et acetum

acetum temperat. *Ligni colubrini* effectus antispasmodica tollunt [15]. Oleorum rancidorum et adustorum vis optime mucilaginibus, nec non aquae, in qua sal quoddam alcalinum vel ipse sapo recens soluitur, larga quantitate, quibus stimulus, emesin, vel catharsin mouendi addi potest, infringitur. Non omnia acria *emeticum* aut *purgans* irritans, stimulans, sed solam aquam tepidam aut oleosa ferunt, copia largiori haurienda. Vaporoso - acria, magis inuoluentia nec acida requirunt, e. g. *Ranunculi*, *Aconitum Napellus* [16] cet. Remedia ad Raphaniam optima habentur: radix Valerianae *syluestris* et Angelicae *syluestris* cum nitro, castoreo et camphora. Rustici smolandici in Suecia tinctura Alchemillae *vulgaris* felici cum successu vsi sunt. Nec balnea tepida vlli remedio hic postponenda sunt. — Aliqua, inprimis quae externe solum corpus adficiunt, methodo antiphlogistica domantur, e. g. *Rhois* quaedam species; Americanorum toxicum sagittarium, nisi vasa sanguifera, sed lymphatica tantum

15) Maiorem dosin *Ligni colubrini* puluerisati a quodam deglutitam sequebantur tremor et imbecillitas artuum, atque in alio praeter tremorem etiam sopor et desipientia; vterque aegrotus opiatis breui restituebatur.

16) *Napelli* et vinum antitoxicum habetur; *Aconiti* effectus tolluntur vesicatoriis, diaphoreticis, balneis. *Ranunculis* alii quidem Rumicem *scutatum*, *Acetosam*, *Acetosellam* cet. opponunt; id quod alii reprehendunt, aquam frigidam et tepidam copiose haustam atque balsamum peruuianum praeferentes.

tantum laesa sunt; cet. Ad venena, quae telis aliisque instrumentis adplicantur, inprimis cito necantia, nullo certo adhuc remedio gaudemus. Feri tamen Americani, Hernandiae *sonorae* radiculas et Thaliae *geniculatae* radicem (quam in *Mancinellae* veneno expellendo atque gangraena vesparumque cet. ictu extollunt) ad vulnera telis venenatis inflicta variaque alia venena, vtrasque et contusas parti laese impositas et interne sumtas vt praesentanea antidota adhibent. Quum tamen in prodendis effectibus cum anguium morsu tam prope conueniant; iisdem forte antidotis vti possemus: nimirum ligatione partis adfectae, scarificatione, vstione, puluere pyrio vulneri insperso et accenso, inspersione pulueris cantharidum, excisione vulneris, cucurbitulis coecis, suctu (Marsorum et Psyllorum more, nam et haec deglutita non nocent), inunctione oleorum blandorum, venae sectione ad animi deliquium vsque, internis medicamentis [17]. Fusior explicatio methodi, effectus venenorum, tam statim subsequentis, quam post aliquod demum tempus contingentis, tollendi, *Therapiae speciali* relinquenda est.

In

17) A saccharo, acidis, alcalinis exiguus fructus exspectandus est vel nullus; quamuis in viperae morsu spiritus salis ammoniaci, secundum recentiorum experimenta, praesentissimum fere remedium existat. — Vbi conuulsiones aegrotum exercent, antispasmodica multum efficiunt.

In ipſis autem plantis proponendis ſequenti modo proceſſi:

Praetermiſſis plantarum characteribus ſynonymisque, vtpote in LINNEI *Speciebus Plantarum* et *Syſtemate Vegetabilium* (vtor vtroque libro a. b. d. D. I. I. REICHARDO coniunctim edito) fuſius expoſitis, ſolummodo nomen Linneanum triuiale indicaui. Vbi vero e *Supplemento Plantarum*, quod C. A LINNE filius, nunc b. d. 1781. edidit; vel alio Auctore plantas, a LINNEO patre nondum adlegatas, adtuli, ſemper fontem ſimul, ex quo hauriebam, indicaui.

Praecipuas quoque plantarum icones adlegaui.

Secundum LINNEI mentem (vid. eius MATERIAM MEDICAM, cuius ſupra iam mentio facta eſt) plantae *vulgares* dicuntur, quae ſponte apud nos creſcunt; *cicures* vero Exoticae, quae ſemel in hortos noſtros introductae, facile per ſe ſubſiſtunt ex Annuo ſemine vel Perenni radice; *manſuetae*, quae more animalium manſuetorum apud nos pulchre degunt, modo per hyemem tecta ſubeant vel parum a gelu defendantur; *ferae*, quae ferarum inſtar toto anno intra clauſtra Caldarii coërcendae et cuſtodiendae ſunt, ne aufugiant pereantue, quales vix fructum noſtro ſub climate ferunt; et *peregrinae*, quae Europaeis hortis vix vnquam innotuere, adeoque e peregrinis terris arceſſendae.

Vege-

Vegetabilium, vt venena confiderans, virtutes medicas et oeconomicas vel filentio praeterii, vel tunc demum fubiunxi, fi ad indolem veneni curatius intelligendam facturas exiftimabam (fic enim vis ferpentum morfus fanandi, et antiphthiriaca fere pharmacon heroicum innuit); plantaque ni tota venenata eft, partes eius modo vna cum viribus fuis enumeraui.

In effectibus venenorum enarrandis, quum nimis longum, immo fuperfluum foret, illos, qui a plantarum vel fubiecti, eos experientis, qualitate indiuiduali dependent, non femper indicaui. Exemplo fit venenum conuulfiuum; hoc in diuerfis hominibus diuerfae etiam fpeciei conuulfiones exferet: in alio opifthotonum, in alio fpafmum cynicum cet. Hic in genere convulfiones vel illarum magis confuetas referre fatagit.

Effectus de brutis obferuatos tunc demum recenfui, vbi de hominibus nulli conftabant.

Plantis, quarum venenata vis dubia adhuc dum eft, inter vere venenatas feriem fuam fyftematicam quidem reliqui, demto tamen numero, huiusque loco duobus afterifcis antepofitis notatas.

CLASSIS II.

DIANDRIA.

MONOGYNIA.

GRATIOLA.

1. G. officinalis. *Fl. dan. t. 363. Blackw. t. 411. Ludw. ect. t. 61. Sabb. hort. rom. 2. t. 87. Zannich. venet. t. 295. Bulliard herb. de France t. 130.*

Locus: Europae auſtralioris, vt et Heluetiae, Palatinatus, Auſtriae, Germaniae et Brabantiae prata humida et ſicca.

Perennis, cicur.

Qualitas: herb. inprimis virentis amara, nauſeoſa, inhaerens inodora.

Vis: vomitoria, purgans, pellens.

Effectus: Emeſis, Hypercatharſis, (a doſi iuſto maiori) lethalis.

SALVIA.

** S. Hormini odor fortis ſed gratus, ſtupefaciens cephalalgiam excitat.

** pra-

1. Quaecunque purgantia draſtica venenis adcenſeri merentur. Incongrue ſumta necant vel ſubito, vel tanto impetu vitae robur concutiunt, vt ſanitas, et cum ea longaeuitas detrimentum non poſſit non capere longe maximum. Vires digeſtrices et neruorum ſyſtema ita labefactantur, vt debita nutritione turbata innumerisque vitiis contractis corpus, lento tanquam miaſmate infectum, ſubinde contabeſcat, morsque praematura tragoediae ſinem faciat. —— Equi a *Gratiola* foeno immiſta marceſcere feruntur.

** S. pratenſis internus vſus hypnoticus eſt.
** S. glutinoſa ſubnarcotica eſt.
** S. Sclarea S. *Horminum* ſuperat.

TRIGYNIA.

PIPER.

2. P. latifolium. *Suppl. p. 91.*
Locus: Taheiti. *Infrequens.*
Colitur in Inſulis Pacificis aliisque locis.
Qualitas: radic. — —
Vis: narcotica.
Effectus: (potus inde parati largiusque hauſti) Sopor, Stupor, Ebrietas. Temporis lapſu peculiare exanthema potus abuſu prouenit: Cutis quaſi calore et aëre torrefacta corrugatur, nigreſcit, interdum paruis lamellis deſquamatur; ſimul ophthalmia inflammatoria, lippitudo, contabeſcentia corporis adcedunt animaeque facultates debilitantur; ſquamas, tumor ſubſtratus, et creſcente morbo, maculas albas vlcera excipiunt ſub cute ſerpentia atque ex fungoſo foramine ichorem fundentia; albae maculae interdum cum rubeſcentibus et viridi-flaueſcentibus alternant.

** P. geniculatum (*Naturf. 19. 150.*) ingrate aromaticum. An toxicum?

CLASSIS III.

TRIANDRIA.

MONOGYNIA.

RVMPHIA.

** R. amboinenſis fructus purgant.

CNEORVM.

3. C. tricoccon.

Locus: Hiſpaniae, Italiae, Narbonae colles glareoſi. *Frutex, cicur.*

Qualitas: baccarum amara, acris, *Daphnes* vel *Euphorbiae.*

Vis: irritans, hydragoga.

Effectus: Hypercatharſis, Inteſtinorum Inflammatio.

COMOCLADIA.

** C. dentatae (*Iacq. amer. 13. t. 173. f. 4.* — An C. *integrifoliae* varietas?) arboris in Americae ſeptentrionalis ſyluis paſſim habitantis, ceterum vix odorem ſpargentis, ſauciatae vero ſuccum album, viſcidum, aëre nigreſcentem, e linteis commaculatis vix vnquam et cute, epidermide desquamata demum abluendum, ſtercoris aut ſulphuris hepatis inſtar foetentem deplorantis exhalationes ſub ipſius vmbra dormientibus, potiſſimum plethoricis

thoricis et obesis saepissime lethales fuisse, Cubae incolae adfirmant; licet CL. IACQVIN per aliquot tempus sub arbore commoratus nil mali inde perceperit.

MELOTHRIA.

** M. pendulae baccas Nigritae in America venenatas credunt.

CROCVS.

4. C. satiuus officinalis. *Moris. hist. 2. 335. s. 4. t. 2. f. 1. Blackw. t. 144. f. 1.*

Locus: Heluetiae, Lusitaniae, Thraciae et Pyreneorum alpes. *Biennis, cicur.*

Qualitas: stigmatum fragrans, subaromatica, luteo - tinctoria.

Vis: narcotica, hypnotica, exhilarans, resoluens, pellens; tum externe euaporatione, tum interne.

B 4 Effect.

4. Fragrantem euaporationem florum diuersorum e. g. Croci satiui officin. (specie a *C. verno* innocuo differentis), *Lonicerarum* variarum, *Nerei Oleandri*, *Lilii candidi*, *Polianthis tuberosae*, *Adenantherae pauonicae* (cuius exhalationes suauissimae animi deliquia et angustias, fortassis et mortem inducunt), *Rosae centifoliae*, *Violae odoratae* cet. lethalem apoplexiam intulisse, satis constat Et quum hic effectus plantis validi odoris fere omnibus tribuendus videatur; plantarum harumce, vtpote sat numerosarum fusiorem expositionem, ni ceterum malignae sint, mittendam esse existimaui, ne praeter necessitatem paginarum volumen nimis intumesceret, veritus.

Effectus: ſenſuum Vigor, Riſus profuſus et immoderatus, Vigiliae; tunc Vertigo, Cephalalgia, Temulentia, Somnolentia, Delirium; Spaſmus riſum ſardonicum aemulans, Haemorrhagia, Apoplexia lethalis.

GLADIOLVS.

** G. communis ob acredinem ſuam ſuſpectus eſt.

IRIS.

5. I. germanica. *Blackw. t. 69. Ludw. ect. t. 112. Bulliard herb. de France t. 141.*
Locus: Germaniae, Languedociae, Galloprovinciae, Heluetiae edita. *Perennis, cicur.*
Qualitas: radicis recentis acris, ſubſtyptica, amariuſcula; odore ſubnauſeoſa. Fecula iners.
Vis: diuretica, purgans, hydragoga, ſubnarcotica, ſubemetica, errhina.
Effectus: Faucium Exuſtio, Profluuium Alui.

6. I. Pſeud' Acorus. *Fl. dan. t. 494. Knorr. del. hort. 1. t. L. 8. Ludw. ect. t. 101. Blackw. t. 261. Bulliard herb. de France t. 137.*
Locus: Europae paludes. *Perennis, vulgatiſſima.*
Qualitas: radicis inſipida, ſubſtyptica; florum quoque acris.
Vis: adſtringens, calefaciens, hydragoga.
Effectus:

7. I. foetidiſſima. *Blackw. t. 158.*
Locus: Gallia, Anglia, Italia, Hetruria.
Perennis.
Qualitas: radicum et florum tetra, foetida (*Cotulam* et cimices olens), acris; ſemina feruida: color florum caeruleſcente-triſtis, ingratus.
Vis: narcotica, diuretica, purgans, pellens.
Effectus:

8. I. virginica.
Locus: Virginiae humida, aquoſa. *Perennis.*
Qualitas: praecedentium.
Vis: draſtica cet.
Effectus:

8. Huc forte et aliae *Irides* referendae, quae odore, vel radice, praecipue recenti, veneno eſſe poſſunt. —— Hanc adnotationem lector beneuolus in vlteriori harumce plantarum enumeratione ſaepius animaduerſurus intelliget, multas plantas, et iure quidem virulentiae ſuſpicionem inire, quas quempiam vsquam necaſſe, experientia nondum confirmat; quia nimirum, (nam ſaepe aliis non minus frequentes creſcunt) perfidiae notis, quibus natura illas diſtinxit, quasue cum aliis toxicis, iam cognitis, communes habent, homines aliaque animalia ab ipſarum vſu auocant.

PHALARIS.

9. Ph. arundinacea. *Fl. dan. t. 259. Leers herb. n. 49. t. 7. f. 3. Scheuchz. gram. 1. 6. t. 3. f. 4. A. B. C. Moris. hist. 3. 203. s. 8. t. 6. f. 41.*
β. *Ph.* picta.
Locus: Europae subhumida ad ripas lacuum.
Qualitas: mechanica.
Vis: vulnerans, inflammans.
Effectus: Pabulo haud cedit, nisi multum esuriant et penuria melioris admodum laborent veterina, nec eo greges vescuntur, quippe quibus non modo ingratissimum, verum etiam maciem, sitim, tabem conciliare creditur, linguam et oesophagum vulnerare et arctare, sanguinem in ventriculum elicere, vnde tumefactio et inflammatio et mors plerumque subsequitur.

CYNOSVRVS.

** C. cristati semina contusa anati et gallo non placent.
** C. ehinatus. Crescit in Europae australioris e. g. Meylandiae cet. agris praecipue humidis inter *Secale;* inde frumento immixtus cum eo in panes tetri saporis coquitur, quibus frequenter vescentes in morbos incidunt. *Cynosuri* semina subtilia cum paleis suis molita et cocta panem exhibent humidum, ponderosum, glutinosum, qui non facile siccescit, sed

ſed potius in corruptionem abit. Panis adhuc calidus, cuius mixtionem ſeminum furfures, quibus ingratus et amarus ſapor debetur, intrant, diarrhoeam, vt et cephalalgiam et vertiginem excitauit; repetita vero illius coctione pars maxima narcoticae vis (cum ea *Lolii temulenti* fere congruentis), quae gramini praecipue menſe Iulio et Auguſto ineſt, perditur. Quamuis farina, quae flaueſcens et omnis faſtidioſi odoris ſaporisque expers eſt et ſubacta in maſſam (quae caſeos olet, ſed in panem cocta nullius ſaporis foedi et eſculenta eſt) innocua dicatur; principium nociuum tamen illi inhaerere videtur, quia illud nimirum fermentatione demum euoluitur, et farina cruda ſues conſopit. Acuitur, quod farina continet, virus furfure admiſto. Etiam eo, quod panis multam abſorbeat aquam eamque ſibi adſociatam retineat, indoles eius praua augetur. Seminum lac ingratum incendit oeſophagum.— Ceterum farina paruam amyli copiam continet, illa tritici parum ponderoſior, fermentatu facilior atque ad putredinem pronior eſt, aliisque farinae ſpeciebus maiorem aquae copiam abſorbet.

ARVNDO.

** *A*. Bambos. In aquas, in quas *Arundinis* huius flores decidere, balneatum deſcendentes, febre adfici, Cinghalenſes perhibent.

LO-

LOLIVM.

10. *L.* temulentum. *Fl. dan. 160. Monti 39. t. 18. Bulliard. herb. de France t. 107.*

Locus: Europae agri inter hordeum, linum cet. Suecia, Russia, Hispania, Gallia, Italia, Asia minor? *Annua, vulgaris.*

Qualitas: totius plantae inodora, subresinosa, acris; calefactae, tostae vel fermentantis nauseosa, vaporosa; seminum subdulcis, haud ingrata; farinae caerulescens, difficilius fermentans; pultis inde paratae et panis, cumprimis calidi, nigra, amara. *Cereuisia, spiritus adustus* cet.

Vis: maxime *seminis*, humores expandens, obstupefaciens, neruis infesta.

Effectus: Dinus, Temulentia, Scotódinus, Sensuum perturbatio, Sopor, Phantasmata, Cephalalgia, Occoecatio, Amaurosis transiens, bulbor. ocul. Rigiditas, Marmarygae, Aurium Tinitus, Susurrus; Baryikia, Spasmi, Languor vniuersalis, Tumor, Impotentia; Calor intensus, Palpitatio Cordis, Anxietas Praecordiorum, Deglutiendi et Loquendi Difficultas, Cardialgia, Cardiae constrictio spastica atque Pylori cum subsequente Conatu Vomendi; Sudor frigidus,

10 *Lolium temulentum* variat spicis muticis. —— Infantibus et iuuenibus magis, quam adultis et senibus infestum est. —— An *Bromus secalinus* vertiginem excitet? Ne hic cum *Lolio* confundatur.

dus, ſpiſſus, Paralyſis, rarius Haemorrhagiae, Inſipientia, Apoplexia, Mors, rariſſime ſubita. Saepe criticus vel Somnus, vel Sudor, vel Diureſis.

SECALE.

11. *S.* cereale (hybernum). *Blackw. t. 224.*

Locus: Creta.

Annua, (biennis), frequentiſſima.

Qualitas: Secalis cornuti (Bulliard herb. de France t. III.) et farinae recentis inde paratae caeruleſcens, nauſeoſo odore et ſapore, fermentatu non facilis, acris.

Vis: irritans, ſpasmodica, narcotica, ſenſus obtundens.

Effectus: Raphania.

11. *Secale cornutum* ſunt grana, quae humida terra et tempeſtate monſtroſe excreuerunt indeque prauam induerunt indolem quamdam. —— Non nullis quoque auibus et inſectis deleterium eſt. Gallinae, vel ſues, anates, anſeres et muſcae aqua, qua lauatum eſt *S. cornutum*, epota perierunt. —— Vel panem e vilibus et corruptis granis ſecalinis, licet non monſtroſis, et farina huiusmodi coctum, idem malum produxiſſe, obſeruatum eſt. Sine dubio virus etiam in granis, adparenter ſanis latere poteſt. —— Nec tamen omnibus *S. cornutum* veneno eſſe videtur. —— Vſtilago Tritici, Hordei, Auenae cet. innocua eſt.

CLAS-

CLASSIS IV.

TETRANDRIA.

MONOGYNIA.

GLOBVLARIA.

12. G. Alypum. *Niſſ. act. 1712. 336. t. 18. Cluſ. hiſp. 179. ic. 180.*

Locus: Monſpelii, Regni Valentini et Italiae ſyluae ad rupes et ſaxoſa. *Fruticans.*

Qualitas: herbae adſtringens.

Vis: purgans, draſtica.

Effectus: Hypercatharſis cet.

PLANTAGO.

** P. Cynops, cuius ſemen purgans eſt, virulentiae ſuſpicionem incurrit; nimius enim iſtius vſus ventriculum offendit et animi deliquium cum mortis periculo infert.

TOXICARIA.

13. T. americana. *Schreber. Naturf. 19. 146.*

Locus: America auſtralis. *Arbor.*

Qualitas: acerrima.

Vis: calida, reſoluens.

Effectus: Toxicum ſagittarum.

SAN-

SANTALVM.

14. S. album. *Rumph. amb. 2. 42. t. 11. Breyn. ic. 94. t. 5. f. 1.*
Locus: India, Siam, Timor, Solor. *Arbor, peregrina.*
Qualitas: ligni flaui fragrans amaricans.
Vis: ſudorifera, (l. recent.) ſubuenenata.
Effectus: Ventus ab arbore flans febrim ſynochae ſimilem obuio inducit.

DIGYNIA.

HYPECOVM.

15. H. procumbens. *Mill. dict. n. 1. ic. t. 150. f. 1. Lob. ic. 744.*
Locus: inter Archipelagi, Narbonae et Salmaticenſes ſegetes. Circa Aſtrachan. *Annua.*
Qualitas: ſucci flaueſcentis, quae opii.
Vis: ſomnifera.
Effectus:

16. H. pendulum. *Mill. dict. 2. ic. t. 150. f. 2. Lob. ic. 743.*

Loc.

14 Vna eademque ſpecies *lignum Santali album* et *citrinum* largitur; iuniorum arborum nucleus ſolus flauus, cetera pars vero aetate demum flaueſcere dicitur. Sunt tamen arbores, quae ſemper integrae albae deprehenduntur; et in aliis regionibus arbores omnes citrinae, in aliis omnes albae ſunt, quae differentia tamen facie externa cognoſci non poteſt. *Album odorum* non eſt.

16. Huc et *H. erectum* non nulli referunt.

Locus: Galloprouincia, Hiſpania, Sibiria.
Annüa.

Qualitas: herbae praecedentis.

Vis:

Effectus:

CLAS-

CLASSIS V.

PENTANDRIA.

MONOGYNIA.

HELIOTROPIVM.

** *H.* europeum et ſupinum, quorum herbae vis eſt laxans, ſeminum ſeptica, emmenagoga et abortiua, ſuſpectum eſt.

CYNOGLOSSVM.

** *C.* officinalis herbam quosdam loco alius oleris ediſſe et inde in ſomnum profundum XL horas protractum incidiſſe, vnumque illorum mortuum eſſe, MORISON narrat. Tantae hanc herbam efficaciae eſſe, vix crediderim!

CYCLAMEN.

17. C. europaeum *Iacq. auſtr. t. 401. Knorr. del. vol. 1. t. S. 16. Zorn. ic. cent. 1. t. 72. Sabb. hort. 2. t. 68. Blackw. t. 147. Mill. dict. ic. t. 115. Bulliard. herb. de France t. 5.*

Locus: Aſiae, Europae auſtralis, Pannoniae, Hungariae, Auſtriae, Tartariae ſicca, vmbroſa, nemoroſa, Heluetiae et Germaniae alpes. *Perennis, cicur.*

Qualitas: rad. carnoſae, praecipue recent. et auctumno effoſſae mucilaginoſo - acris, vrens,

17. Cum hoc *Cyclamen indicum* conuenire videtur.

vrens, amaricans. Radix vſta et fecula eluta innocuae ſunt.

Vis: purgans, draſtica.

Effectus: Tormina, Hypercatharſis. Radicis ſuccus ſtrangulationem et quaſi ſuffocationem infert.

SPIGELIA.

18. Sp. Anthelmia. *Amoen. acad. 5. 133. t. 2. Brown. iam. 156. t. 37. f. 3. Pet. gaz. t. 59. f. 10.*

Locus: Braſilia; ſeritur in Iamaica, Caienna, Domingo, Martiniqua cet. *Annua, fera.*

Qualitas: herb. tetra, foetida, acris.

Vis: narcotica, hypnotica, draſtica, pellens.

Effectus: Sopor, Rigiditas Oculorum, Scintillae, Dilatatio Pupillae, Hyperemeſis, Hypercatharſis.

19. Sp. marilandica. *Hope act. edinb. 3. ann. 1771. 151. t. 1. Catesb. carol. 2. t. 78.*

Locus: Virginia, Marilandia, Carolina et alia Americae ſeptentrionalis loca.

Rad. perennis, caul. annuus.

Qualitas: herb. viſcida, nauſeoſa. Praecedente fortior.

Vis: praecedentis, ſpaſmodica, paralytica.

Effectus: Vertigo, Scotomia, Oculorum Convulſiones, Ptoſis, Amauroſis.

LISIANTHVS.

20. L. Chelonoides. *Suppl. pl. 134. Aubl. guian. 204. t. 80.*

Locus:

Locus: Surinamum, Caienna in altis arenosis. *Frutex.*
Qualitas: herb. valde amara.
Vis: drastica.
Effectus:

AZALEA.

21. A. pontica. *Tourn. Act. Paris. Buxb. cent. 5. 36. t. 69.*
Locus: Heracleae de Ponto, Trapezuntis, Armeniae (syluosa), Asiae mediae? humida, Caucasi alpes ad mare nigrum vsque. *Frutex.*
Qualitas: flor. suaueolens.
Vis: narcotica, obstupefaciens.
Effectus: Nausea, Vertigo, Cephalalgia, Stupor.

PLVMBAGO.

22. P. europaea. *Sabb. hort. 2. t. 39. 40. Col. ecphr. 1. 161. t. 161.*
Locus: Europa australis: Hispania, Italia, Neapolis, Syracusa, Gallia australis. *Perennis, mansueta.*

21. An ex hac planta mel, vi nauseam et stupiditatem producendi infectum, educatur? Nonne itaque ea ipsa est illud *Aegolethon* PLINII, et *Oleandro giallo* LAMBERTI? Nectar in *Ericae*, vtpote generis alias innocentis, floribus contentum huiusmodi mel, non nullis existimantibus, exhibere mihi non videtur, licet *Salsola* quaedam seminibus solum oleum aethereum forte largientibus polleat.

Qualitas: rad. herb. acris.
Vis: cauſtica.
Effectus:

23. P. zeylanica. *Comm. hort. 2. 169. t. 85. Rheed. mal. 10. 15. t. 8.*
Locus: India orientalis. *Perennis, manſueta.*
Qualitas: tot. plant. inprimis recentis, quae eſt praecedentis.
Vis: veſicans, emetica, diuretica.
Effectus:

24. P. roſea. *Rheed. mal. 10. 17. t. 9. Rumph. amb. 5. 453. t. 168.*
Locus: antecedentis. *Perennis.*
Qualitas: — —
Vis: — —
Effectus: — —

CONVOLVVLVS.

25. C. ſcammonia *Moriſ. hiſt. 2. ſ. 1. t. 3. f. 5. Mill. dict. t. 102. Ruſſel. 13. t. 1. f. A — F.*
Locus: Syria, Myſia, Cappadocia per Smyrnam. *Perennis, peregrina.*
Qualitas: rad. foetidiuſcula, acri-amaricans, nauſeoſa, lacteſcens, gummoſo-reſinoſa.
Vis: purgans, (cruda radice reſina debilior).
Effectus: Faſtidium, Colica vehementiſſima, Diarrhoea, Reſolutio Humorum, Mors.

26. C. Turpethum. *Herm. Lugdb. 177. t. 178. 179. Blackw. t. 397.*
Locus: Zeylonae, Malabariae vmbroſa, humida. *Perennis, peregrina, fera.*

Quali-

Qualitas: recent. dulciaria, tunc pungens, nauſeoſa; ſiccatae vix ſapida, tamen nauſeoſa. — Planta vulnerata copioſum lac fundit ex templo in gummi ſubreſinoſum, flaueſcens coagulans, cuius ſapor, vt radicis eſt.

Vis: fere *Scammoniae*, irritans, reſoluens, purgans.

Effectus:

27. C. Ialapa.

Locus: America, Mexico, Vera Crux. *Perennis, peregrina.*

Qualitas: praeccdentis. Ad flammam fumum ſpirat graueolentem.

Vis:

Effectus:

28. C. Soldanella. *Zannich. venet. t. 6.*

Locus: Angliae, Italiae, Auſtriae, Galliae, Friſiae littora maris; Carniolia. *Perennis, manſueta.*

Qualitas: herb. nauſeoſa, acris, amaricans, lacteſcens.

Vis: draſtica, hydragoga.

Effectus: hypercatharſis.

29. C. Pes Caprae. *Rumph. amb. 5. 433. t. 159. f. 1. Rheed. mal. 11. 117. t. 57. Herm. lugdb. 174. t. 175.*

C 3 *Locus:*

27. *Ialapae* radix recens ſolo odore, vt et contundendo vomitum et diarrhoeam ſaepius excitat.

29. Folia cedunt in pabulum cuniculis, ceruis, damis, capris domeſticis et ſylueſtribus. — Huc ſine dubio alii adhuc *Conuoluuli* acres, nondum disquiſiti, referendi ſunt: *C. ſc-*

Locus: India orientalis: Zeylona, Malabaria.
Perennis.
Qualitas: rad. lactescens, resinosa, acris, pungens.
Vis: drastica.
Effectus:

PSYCHOTRIA.

** *P.* emetica in regni Mexicani prouincia Gironensi frequens (*Suppl. pl. 144.*), an toxica? Non nisi certo quodam respectu, si testimonium empyrici cuiusdam autoptae Cl. MVTIS dato, haec vera stirps radicis Ipecacuanhae venalis est. Vid. Linn. S. N. Ed. XIV. p. 214.

LONICERA.

** *L.* Xylostei baccae drasticae sunt, in maiori dosi quoque emeticae.

DATVRA.

30. D. ferox. *Moris. hist. 3. s. 15. t. 2. f. 4. Barr. rar. 109. t. 1112.*
Locus: India orientalis, China cet. *Annua.*
Qualitas: sequentis.
Vis: — —
Effectus:

POLYGONVM.

** P. Hydropiper aeque minus, ac *Sedum acre* (quod tamen priori acrius eſt) venenorum; ſed medicamentorum potius numero adſcribendum eſt.

COCO-

COCOLOBA.

, C. emetica *(Rottboell act. Hafnienf. 1778. 289.)* cuius liber et flores praeftans decoctum emeticum praebent, cortex autem vulneratus halitum naufeofum fpirat, fufpecta eft.

PARIS.

** P. quadrifolia odoris fufpecti eft, et baccae gallinis atque aliis auibus lethales funt; hominibus mouent ventriculi fpafmos et vomitus; an etiam mortem intulerint? incertum eft.

CLASSIS IX.

ENNEANDRIA.

MONOGYNIA.

ANACARDIVM.

118. A. occidentale. *Iacq. amer. 124. t. 181. f. 35. Tournef. inſt. 658. t. 435. Blackw. t. 369. Catesb. car. 3. t. 9. Rumph. amb. 1. 177. t. 69. Mer. ſurin. 16. t. 16. Rheed. mal. 3. 65. t. 54.*

Locus: India occidentalis et orientalis, Americae calidae inſulae: Surinamum, Iamaica. *Arbor.*

Qualitas: olei nigri, in nucis putamine contenti, cauſtica.

Vis: veſicans.

Effectus: Inflammatio, Dolor acutus cet.

Claſſis

CLASSIS X.

DECANDRIA.

MONOGYNIA.

ANAGYRIS.

119. A. foetida.

Locus: Hiſpaniae, Italiae, Siciliae, Galloprovinciae, Languedociae montes, vt et Smirna in Aſia minori, Candia, aliaeque Archipelagi inſulae. *Frutex vel arbor.*

Qualitas: totius ſtirpis, inprimis foliorum contritorum halituoſa, putidiſſima; ſem.—

Vis: emmenagoga.

Effectus: (a ſemine commanducato) Vehementes Vomitiones. In Creta ſolo odore Capitis Grauitatem infert.

BAVHINIA.

120. B. coccinea. *König im Naturforſch. 21. St.*

Locus: Indiae orientalis regiones orientaliores.

Qualitas: ſem. amaricans.

Vis:

Effectus: Dyſenteria lethalis.

119. Caſei confecti ex lacte caprarum vel ouium, quae fame vexatae folia depaſcebant, tum vehementiſſimos vomitus, tum fluxus ventris excitant, ſic vt in vitae diſcrimen veniat aegrotus. —— Flores apes non adtingunt.

120. Eduntur ſemina a Peguanis in aqua decocta, quae particulas venenatas extrahit et deinde abiicitur.

** B. variegatae et purpureae flores purgant.

POINCIANA.

** P. pulcherrimae folia purgant et flores, quorum odor et ſapor nauſeoſus eſt, aqua infuſi. Teſtante celeberrima MERIANA ſeminibus mancipiorum feminae vt medicamento abortiuo vtuntur.

GVILANDINA.

121. G. Moringa. *Burm. zeyl. 162. t. 75. Rheed. mal. 6. 19. t. 11. Rumph. amb. 1. 184. t. 74. 75. Blackw. t. 386.*

Locus: Aſia: Syria, Arabia, Aegyptus, Zeylona, Malabaria; America.

Arbor, peregrina.

Qualitas: nuclei fruct. acris, amara, ingrata.

Vis: pellens, reſoluens.

Effectus: Nauſea, Vomitus, Deiectio Alui moleſtiſſima, Virium Proſtratio, Sudor frigidus.

CYNOMETRA.

** C. ramiflorae radix acris purgat.

TRICHILIA.

** T. trifoliatae partes omnes debiliter foetent. Nigritarum feminae vernales decocto, quod ex radice parant, abortum ſibi procreant.

MELIA.

122. M. Azedarach. β. *Tournef. inst. 616. t. 387. Rheed. mal. 4. 109. t. 53. Comm. hort. 1. 147. t. 76. A.*

Locus: Syria, Hispania, Lusitania, Malabaria, β Zeylona *Arbor.*

Qualitas: ligni et folior. foetida, amara; fructus carnosi simul dulciaria.

Vis: venenata; rad. purgans.

Effectus: — Caro fructus adipe mixta canibusque oblata necat.

LIMONIA.

** L. acidissimae radix purgat.

KALMIA.

123. K. latifolia. *Catesb. car. 2. t. 98. Trew. ehret. t. 38. f. 1. Pluk. alm. 49. t. 379. f. 6.*

Locus: Marilandia, Virginia, Pensyluania. *Frutex vel arbuscula.*

Qualitas: folior. —

Vis:

122. Fructus totam per hyemem arbore, ab auibus spreti, manent. —— Etiam *M. Azadirachta* huius indolis esse videtur; fructus enim caro oleosa, amara et acris est.

123. Vtriusque *Kalmiae* folia animalibus domesticis, vt ouibus, vitulis, equis, bobus, vaccis aut lethalia, aut admodum noxia sunt; contra syluaticis, ac praecipue ceruis, gratum atque salubre pabulum: tamen foliis his pasti animalis caro canibus exhibita lethifera iis infert symptomata. Eaque vel homini exitialia esse posse, verosimillimum est.

Vis: emetica.
Effectus: Vertigo, Stupor, Cephalalgia.

124. K. anguſtifolia. *Catesb. car. 3. t. 17. f. 1. Trew. ehret. t. 38. f. 3. Pluk. alm. 106. t. 161. f. 3.*
Locus: Penſyluania, Noua Caeſarea, Noueboracum. *Frutex.*
Qualitas: praecedentis.
Vis:
Effectus:

LEDVM.

125. L. paluſtre. *Lob. ic. 2. p. 124.*
Locus: Sueciae, Septentrionis, Poloniae, Bohemiae, Sileſiae paludes aſperae. *Frutex, vulgaris.*
Qualitas: herb. amaricans, halituoſa, nidoroſa.
Vis: Narcotica, phantaſtica, phthiriaca.
Effectus: Vehementiſſima Cephalalgia, Vertigo, Narcoſis, forte in maiori doſi Mors.

RHODODENDRON.

126. Rh. ferrugineum. *Iacq. obſ. 1. 26. t. 16. et auſtr. t. 255.*
Locus: Alpes Helueticae, Allobrogicae, Pyrenaeae, Sibiricae, Auſtriacae. *Frutex.*
Qualitas:
Vis: narcotica.

Effect.

125. Oues ſpernunt *L. paluſtre.*

Effectus: Lepus, plantae huius foliis deuoratis mactatus et praeparatus, cibum praebuit omnibus mortiferum.

127. Rh. chryſanthum. *Suppl. pl. 237. Pall. it. 3. 729. t. N. f. 1. 2. Gmel. Sibir. v. 4. 121. t. 54.*

Locus: Dauriae totiusque Sibiriae iuga alpina frigidiſſima. *Frutex, peregrinus.*

Qualitas: folior. acriuſcula, auſtera, adſtringens, amaricans.

Vis: ſubcalefaciens, inebrians, hypnotica, (exanthematica, phthiriaca).

Effectus: Vertigo, Temulentia, Stupor, Anxietas, Dyſpnoea, Ataxia Pulſus, Ardor et Conſtrictio Oeſophagi, Sternutatio, Motus conuulſiui, Extremorum Frigus.

128. Rh. ponticum.

Locus: India orientalis, Gibraltariae ſubhumida, vmbroſa. *Frutex.*

Qualitas: praecedentium. Mel venenatum ſuggerere dicitur.

Vis:

Effectus:

PHYTOLACCA.

129. Ph. decandra. *Blackw. t. 515. Dill. elth. 318. t. 239. f. 369. Pluk. alm. 353. t. 225. f. 3.*

Loc.

127. Non dubium eſt, plantam recentem viribusque ſuis adhuc ſcatentem et doſi maiori adhibitam, morti inferendae parem eſſe. Idem *Rh. dauricum* concernere videtur, *Rh. chryſantho* adeo ſimilem, vt (*Suppl. pl. 237.*) hoc prioris *varietas* habeatur.

129. *Ph. decandra.* Succus baccarum (quae ceterum aui cuidam in America cibo ſunt et ab infantibus absque detrimento

Locus: Virginia, Heluetia, Hiſpania.

Perennis, manſueta.

Qualitas: plant. tenellae aquoſa, oleracea; adultae acris.

Vis: corrodens; ſucci, maxime rad. purgans.

Effectus: Conuulſio.

mento deglutiuntur) cani datus leuiores conuulſiones et tumores excitauit.

CLAS-

CLASSIS XI.

DODECANDRIA.

MONOGYNIA.

ASARUM.

130. A. europaeum. *Fl. dan. t. 633. Mill. dict. n. 1. t. 53. f. 1. Ludw. ect. t. 182. Zorn. ic. t. 74. Blackw. t. 383. Bulliard herb. de France t. 69.*

Locus: Europae auſtralioris vmbroſa; Scania. *Perennis, cicur.*

Qualitas: rad. herb. amaro-acris, nauſeoſa; maſticatarum in lingua et faucibus leniter mordens; folior. eminentior.

Vis: praecipue recentis plantae vomitoria, purgans, diuretica, diaphoretica, emmenagoga, errhina.

Effectus: — Mors.

** A. canadenſe (cuius ſemen acre et calidum eſt) et virginicum, quod A. europaeum odore et ſapore adprime refert, iisdem viribus eſſe videntur.

BOCCONIA.

** B. fruteſcens, quae tota acerrimo ſucco flauo, verrucas exurente, turget, ſuſpecta eſt.

PEGA-

PEGANVM.

** P. Harmala. Totius plantae odor fortis, ingratus, foliorum ſapor reſinoſus, amarus, ſubacris eſt. Seminibus, quae interne ſumta inebriant, Turcae proceres delectantur.

TRIGYNIA.

EVPHORBIA.

131. E. antiquorum. *Blackw. t. 339. Comm. hort. 1. 23. t. 12. Rheed. mal. 2. 81. t. 42. Comm. prael. 55. t. 5.*

Locus: India orientalis, Arabia. *Frutex, ferus.*

Qualitas: plant. lacteſcens, mucoſo-reſinoſa, acris.

Vis: ſeptica, rubefaciens, veſicans, exulcerans, ſtimulans, pellens, draſtica, ſternutatoria.

Effectus: Externe Eroſio Solidorum, etiam Oſſium, Tumor, Inflammatio, Dyſuria; *interne* Arthritis periodica, Hyperemeſis, Hypercatharſis cruentae, Ardor Oeſophagi, Inflammatio, Sitis non leuanda, Haemorrhagiae, Hydrops, Sudor frigidus, Lipothymiae, Mors.

132. E.

131. Hanc FORSKOHL in Aegypto a camelis deuoratam eſſe magna cum admiratione vidit. —— Vel reliquarum multas, quae hic deſiderantur, ſpecies toxica acredine (exoticas, quas etiam *Sphinx Euphorbiae* ſpernit, noſtratibus magis concentrata) turgere, extra dubitationis aleam poſitum eſt. Potiſſimum lac (multis quoque inſectis deleterium) princi-

132. E. canarienſis. *Blackw. t. 340. f. 1. Comm. hort. 2. 207. t. 104. Pluk. alm. 370. t. 320. f. 2.*

Locus: Canariae. *Frutex, ferus.*

Qualitas: praecedentis.

Vis:

Effectus:

133. E. officinarum. *Blackw. t. 340. f. 2. Iſnar. act. 1720. 500. t. 10. Comm. hort. 1. 21. t. 11. Seb. theſ. 1. 29. t. 19. f. 2.*

Locus: Arabia, Aethiopia et Africa calidior. *Praeced.*

Qualitas: Gummi - reſinae vix odora, primum inſipida, tunc valde punctoria, fere vt radix *Ari*, ſed feruida inſimul, calida, nauſeoſa, diu inhaerens. Praecedente acrior ab Arabibus habetur.

Vis: praecedentium.

Effectus:

134. E. neriifolia. *Seb. theſ. 1. 18. t. 9. f. 1. Comm. prael. 22. 56. t. 6. Bradl. ſucc. 3. 10. t. 28. Comm. hort. 1. 25. t. 13. Rumph. amb. 4. 88. t. 40. Rheed. mal. 2. 83. t. 43.*

Locus: Indiae aquoſa, inſulae: Iaua, Baleya cet. *Frutex.*

Qualitas: totius plant. (lacte, quod ea leuiter modo vulnerata exſtillat, copioſo, viſcido, adſtringente refertae) primum vix ſapida,

principium acre continet. Planta antiquior vel vino ſue aceto infuſa minus nociua eſt.

ſapida, dein ſenſibilem ardorem inprimens. — Folia atque cortex ſucco viridi ſcatent.

Vis:

Effectus:

135. E. mauritanica. *Dill. elth. 384. t. 289. f. 373.*

Locus: Africa maritima. *Praeced.* ♄

Qualitas: praecedentis.

Vis:

Effectus:

136. E. Tirucalli. *Comm. hort. 1. 27. t. 14. Pluk. phyt. 319. f. 9. Rumph. amb. 7. 62. t. 29. Rheed. mal. 2. 85. t. 44.*

Locus: Arabia, India orientalis. *Praeced.*

Qualitas: praecedentis.

Vis:

Effectus: — Lac huius oculis admodum excoecare Arabes produnt.

137. E. tithymaloides. *Iacq. amer. 149. t. 92. Herm. parad. 234. f. 234. Comm. hort. 1. 31. t. 16. Pluk. alm. 369. t. 230. f. 2. β. Dill. elth. 383. t. 288. f. 372.*

Locus: Curacao, at β. forte India. *Praeced.*

Qualitas: ſucci lactei amaricans, acerrima.

Vis: veſicans cet.

Effectus:

137. Medici Curaſſauici decoctum plantae, inprimis caulis, ſaturatum in ſyphilitide pro potu ordinario propinant; et feminae Americanae idem in menſium obſtructione adhibent.

Effectus: — Lac per cruentum vulnus immiſſum necat.

** E. Ipecacuanhae Americae ſeptentrionalis incolae vt emetico vtuntur.

138. E. Peplus. *Weinmann. 492. Riuin. tetrap. t. 118. Bulliard herb. de France t. 79.*

Locus: Europae culta oleracea. *Annua, vulgaris.*

Qualitas: antecedentibus debilior.

Vis: — — Radic. et ſemin. hydragoga.

Effectus: Haec Species, inſequens et *helioſcopia* (cuius lac HALLERVS ſalitum, ceterum ſine acredine eſſe dicit) et *Cypariſſias* reliquis mitiores ſunt.

139. E. exigua. *Fl. dan. t. 592. α. E. exigua acuta. Lob. ic. 357. β. E. exigua retuſa. γ. Magn. monſp. 259. t. 258.*

Locus: Luſitania, Italia, Gallia, Heluetia, Hiſpania, Germania inter ſegetes, in collibus et pratis. *Annua, vulgaris.*

Qualitas: Omnium hic recenſitarum debiliſſima.

Vis: draſtica.

Effectus:

140. E. Lathyris. *Blackw. t. 123. Weinmann. 490. a. b. Zorn. ic. pl. med. t. 19. Bulliard herb. de France t. 103.*

Locus: Galliae, Italiae, Heluetiae, Auſtriae, Germaniae, Carnioliae agri. *Biennis, cicur.*

Qualitas: lactis primum insipida, tunc vero acerrima; semin. pinguis, subdulcis, acris, nauseosa.

Vis: vesicans cet.

Effectus: Vehementissimae Euacuationes sursum deorsumque.

** E. Apios, inprimis radix illius carnosa, succulenta valde purgat, nec minus *E. aleppicae* lacteus latex.

141. E. helioscopia. *Fl. dan. t. 725. Weinmann. 489. d.*

Locus: Europae culta. *Annua, vulgaris.*

Qualitas: reliquarum, amara. Semina innocua dicuntur.

Vis:

Effectus: — Pecorum, quorum alia plantam impune deuorant, alia diarrhoeis cet. inde adficiuntur, lac et caro saporem foetidum consciscere fertur.

142. E. serrata. *Bulliard herb. de France t. 75.*

Locus: Narbona, Hispania, Italia, Oriens. *Annua.*

Qualitas: acris.

Vis: caustica.

Effectus: Inflammatio, Vlcus cet.

143. E. platyphyllos. *Iacq. austr. t. 376. Moris. hist. s. 10. t. 3. f. 1.*

Locus:

143. Odor fastidiosus et familia locum huncce, monente Cl. GMELINO, iure huic plantae concedunt.

Locus: Galliae, Angliae, Germaniae, Auſtriae, Heluetiae, Palatinatus agri. *Annua, vulgaris.*

Qualitas: antecedentis.

Vis:

Effectus:

144. E. Eſula. *Blackw. t. 163. f. 1. 2. Weinmann. t. 487. d. Riuin. tetrap. t. 227.*

Locus: Germaniae, Belgii, Galliae, Heluetiae, Carnioliae, Arabiae ſterilia, colles. *Perennis, vulgatiſſima.*

Qualitas: rad. folior. ſemin. quae praecedentium; inodora.

Vis: veſicans cet.

Effectus: Extern. Ardor, Inflammatio, Eroſio, Tumor ingens, Gangraena; *(ſucci expreſſi oculo adplicati)* Ophthalmia, Caecitas; *intern.* Hypercatharſis, Haemoptoe, Mors.

145. E. Cypariſſias. *Blackw. t. 163. f. 3. Weinmann. t. 487. Iacq. auſtr. vol. 5. t. 435. Riv. tetrap. t. 113. Bulliard herb de France t. 97.*

Locus: Germaniae, Bohemiae, Heluetiae, Galliae Narbonenſis colles. *Perennis, vulgaris.*

Qualitas: antecedente minus efficax, vehementior tamen, quam *E. helioſcopiae.*

Vis:

144. Folia a capris carpta, lac purgandi vi inquinare, adfirmant. Semina piſces ſtupefaciunt.

Effectus: a semin. Alui profluuium, Spasmus, Inflammatio cet.

146. E. myrsinites. *Barr. ic. 1200.*

Locus: Calabria, Hispania, Italia, Monspelium. *Perennis.*

Qualitas:

Vis:

Effectus: Succus vehementius aluum purgat.

147. E. palustris. *Moris. hist. s. 10. t. 2. f. 1. Weinmann. 48. 8. t. Riuin. tetrap. t. 230. Bulliard herb. de France t. 87.*

Locus: Suecia australis, Germania, Belgium, Heluetia, Oelandia, Gotlandia.

Perennis, cicur.

Qualitas: reliquarum.

Vis:

Effectus:

148. E. hiberna. *Dill. elth. 387. t. 209. f. 374.*

Locus: Hibernia, Sibiria, Austria, montes Pyrenaei. *Perennis.*

Qualitas: acerrima cet.

Vis:

Effectus: — Radix tusa aquae insperfa pisces necat.

149. E. amygdaloides. *Weinmann. t. 488. c. Rivin. tetrap. t. 227.*

Locus: Angliae, Galliae, Germaniae? Austriae, Hungariae, Heluetiae syluae.

Qualitas: rad. maxime semin. quae reliquarum.

Vis:

149. An *E. syluaticae varietas?*

Vis:

Effectus: radic. Vomitus, Ventris Fluxus.

150. E. ſyluatica. *Iacq. auſtr. t. 375. Col. ecphr. 2. 56. t. 57. Moriſ. hiſt. 3. ſ. 10. t. 1. f. 3. Bulliard herb. de France t. 95.*

Locus: Europae auſtralioris, Heluetiae, Auſtriae, Palatinatus ſyluae vmbroſae, humidiuſculae. *Frutex.*

Qualitas: reliquarum; foetida cet.

Vis:

Effectus:

151. E. characias. *Weinmann. t. 488. c.*

Locus: Gallia, Hiſpania, Italia, Germania. *Frutex.*

Qualitas: rad. folior. ſemin. vrens, vt ceterarum.

Vis:

Effectus:

151. Eſt *E. ſyluaticae* et *amygdaloidi* valde adfinis.

CLASSIS XII.

ICOSANDRIA.

MONOGYNIA.

PRVNVS.

152. P. Laurocerasus. *Blackw. t. 512. Cam. hort. t. 23. Du Ham. arb. 1. t. 133. Zorn. ic. t. 96. Bulliard herb. de France t. 153.*

Locus: Trapezunt. *Arbor, mansueta.*

Qualitas: foliorum aquae destillatum maxime repetita abstractione concentratae, suaveolens, amara.

Vis: narcotica, resoluens, diuretica.

Effectus: Vertigo, Dolores Artuum, Irritabilitatis Intentio, tunc Abolitio, Sanguinis Resolutio, Mors.

152. Animalia carniuora aliis peiores inde experiuntur effectus. Aquae destillatae Vnciae quatuor maximum canem pulsu frequentiori et conuulsionibus praegressis necarunt. Baccas tamen aues deglutiunt; et homines quoque magna illarum copia sine noxa vesci possunt. —— *Amygdali communis amarae* fructus tum odore, tum sapore adeo cum *Laurocerasi* foliis conuenientes, licet nulli homini, tamen canibus, lupis, vulpeculis, felibus, psitacis cet. venenum fuere. Gallinae ex esu magmatis, expresso oleo superstitis, interierunt. Flores *Amygdali communis* recentes non aluum modo deiiciunt, sed et vomitiones cient atque hydropicorum aquas pellunt in acetariis esitati, non autem absque aegrotantium labore.

CLAS-

CLASSIS XIII.

POLIANDRIA.

MONOGYNIA.

CARAIPA.

153. C. anguſtifolia. *Schreber. Naturf. 19. 152. Aubl. guian. 562. t. 224. f. 4.?*
Locus: America auſtralis. *Arbor.*
Qualitas: frond. graueolenti- aromatica, *Veratri nigri* odorem imitans, ſubacris.
Vis:
Effectus: — Toxicum ſagittarium? ſuſpecta eſt.

ACTAEA.

154. A. ſpicata. *Fl. dan. t. 489. Blackw. t. 565. Bulliard herb. de France t. 83. β. Corn. canad. 76. t. 77. Moriſ. 2. ſ. 1. t. 2. f. 7.*
Locus: Europae, β. Americae nemora. *Perennis, infrequens.*
Qualitas: herb. acris, foetida; radic. ſemin. —
Vis: narcotica, veſicatoria.
Effectus: *(a baccis comeſtis)* Delirium et Mors. LINN. *Etiam externe* Vertigo, Delirium, Furor; *interne* Purgatio violenta.

154. Radici vires *Hellebori nigri* LIETAVD adſcribit. Vnica bacca vel illarum extractum (cuius tamen Grana duodecim puellae nil nocuere) gallinas aliasque aues occidere valet. SAVVAGES —— Omnino haec claſſis multa nobis ignota continet toxica.

155. A. racemosa. *Dill. elth. 79. t. 67. f. 78. Pluk. alm. 54. t. 383. f. 3.*

Locus: Americae borealis: Floridae, Virginiae, Canadae humida, vmbrosa.

Perennis, cicur.

Qualitas: radic. herb. et flor. graueolens.

Vis: Baccae nigrae praecipue multum venenatae dicuntur.

Effectus:

PODOPHYLLVM.

** P. peltati radix valde emetica est.

CHELIDONIVM.

156. Ch. Glaucium. *Flor. dan. t. 585. Knorr. del. 1. t. R. 19.*

Locus: Angliae, Austriae, Heluetiae, Galliae, Italiae, Virginiae arenosa, lapidosa.

Annua, cicur.

Qualitas: crocei fucci, quo tota planta scatet, foetida, amara, acris.

Vis: narcotica.

Effectus: Aliquot dierum Desipientia.

PAPAVER.

157. P. somniferum. *Blackw. t. 482. 483. Bulliard herb. de France t. 57.*

P. *hor-*

157. Sub coelo calidiore e. g. in Apulia, Aegypto, Arabia, Persia vel euaporatio plantae homines humi prosternit stupefactos,

P. *hortenſe ſemin. albo.*
— *criſtatum flor et ſemin. albo.*
— — — *rubro et ſemin. nigro.*
— *flore pleno, albo.*

Locus: Aſia, Europae auſtralioris ruderata et agri. *Annua, cicur.*

Qualitas: ſucci albi inſpiſſati (opii) reſinoſo-gummoſa, amara, acris, calidiuſcula, foetida, inflammabilis.

Vis: narcotica, ſtimulans, exhilarans, phantaſtica, dementans, hypnotica, ſiſtens, paregorica, paralytica.

Effectus: Animi Alacritas, Fibrae muſcularis Intentio, tunc Relaxatio; *inde ab vna parte* Hilaritas, Garrulitas, Exſultatio, Pulſus plenus, frequens, Inſipientia, Salacitas, Orga-

factos, inſenſibiles, quibus liuor, tremor, tabes adcedunt. — Fermentatione partes opii volatiles a reſinoſis et gummoſis, quae ſtimulantes ſunt, magis ſeparantur et liberiores redduntur, inde et vis illius valde augetur. Opium vulnere, vena, tela celluloſa citius, quam ore vel enemate adplicatum in corpus animale ſaeuit. Oleum feminibus expreſſum innocuum eſt; non ita, quae oleo expreſſo reſtat placenta, aut ſemina ipſa, quae licet a multis hominibus ſine ſenſibili noxa adſumantur, tamen ſtupiditatem qualemcunque ſubinde inducere, obſeruaſſe non nullis viſum eſt. Saltim homines, recentia ſemina colligentes, ſopore, et gallinae, deglutitis ſeminibus, laſſitudine, vertigine, ſtupore et ſopore corripiuntur, id quod experiri quilibet facile poteſt. Ceterum veroſimillimum eſt, ſemina antiquiora, parte volatili orbata, minus vel plane non noxia eſſe; nociua autem recentia, multoque magis immatura, lacte adhuc repleta. —— Absque dubio *Papauer Rhoeas, orientale* (cuius radix et capſulae immaturae ſuccum ſordide albeſcentem, amarum, acrem continent) aliaque in primis calidiore climate culta opium, vilius quidem exhibent.

Orgaſmus, Dyſpnoea, Anxietas, Sudor, Inflammatio, Delirium, Furor, Sanguinis Reſolutio putrida, Liuor, Vertigo, Apoplexia; *ab altera* Languor, Moeror, Se-et Excretiones impeditae, Somnus tranquillus, iucundus, aut Sopor Phantaſiis horrendis turbatus, Senſuum Abolitio, Amauroſis cet. Lipothymia, Paralyſis, Mors, ſaepe tranquilla. Interdum critica diarrhoea, ſudore copioſo, foetido cum cutis pruritu aegrotos opio temeratos morti ereptos eſſe, obſeruatum eſt. Opio toſto nouae quaſi vires ex aëre adcedunt, ex quibus priſtinam, doloſiorem recuperat malignitatem.

ARGEMONE.

** A. mexicanae ſemina in Mexico vt fortius purgans adhiberi, HERNANDEZ refert; alii vires anodinas et ſoporiferas plantae adſcribunt.

CAMBOGIA.

158. C. Gutta. *Blackw. t. 392. Rheed. mal. 1. 41. t. 24.*

Locus: Malabaria, Zeylona, China.

Arbor, peregrina.

Qualitas: ſucci inſpiſſati reſinoſo-gummoſa, croceo-lutea, nitida, inodora, inſipida, tandem acris.

Vis: draſtica, hydragoga, emetica.

Effectus:

Effectus: Hyperemesis, Hypercatharsis, Intestinorum Inflammatio, Lipothymia, Mors subita, lenta.

MYRISTICA.

159. M. fatua. *C. Bauh. p. 407. Nux myristica mas. Clus. exot. p. 14. Houttuyn. Pfl. syst. 2. 224. e belg. in germ. transl.*

Locus: Bandae, Amboinae syluae et montes. *Arbor, peregrina.*

Qualitas: fructus insipida.

Vis: narcotica.

Effectus: Tres nuces tostae, RVMPHIO narrante, feminae purgandi scopo datae Desipientiam et Delirium intulerunt. — Feminae Iauanenses philtrum viris inde parant.

CALOPHYLLVM.

160. C. Inophyllum? *Rheed. mal. 4. 81. t. 39.*

Locus: Malabariae arenosa. *Arbor.*

Qualitas: succi, quem cortex laesus fundit, flauescentis et sole in gummi, *Gutta Gamba* incolis dictum, coagulantis mucilaginosa.

Vis: *Guttae* vid. n. 158.

Effectus:

LECYTHIS.

161. L. minor. *Iacq. amer. 168. t. 109.*

Loc.

Locus: Americae calidae, Carthagenae ſylvae. *Arbor.*
Qualitas: venenata?
Vis:
Effectus: Vnicum ſemen integrum adſumſi, quod ſapore gratiſſimo praeditum deprehendi; ſed poſt mediam horam nauſea, Anxietate magna, Capitisque Titubatione praeter conſuetudinem fui vexatus; an ab hoc nucleo? *Iacq. l. c. p. 169.*

DOLIOCARPVS.

162. D. volubilis. *Rolander in Abhandlung der ſchwed. Acad. d. Wiſſenſch. B. 18. t. 9. f. 1.*
Locus: Surinami tumuli pratorum arenoſi.
Qualitas: florum aromatica, nauſeoſa; baccar. rubrar. dulciaria, grata.
Vis: calida, vaporoſa.
Effectus: Pruritus et Ardor Faucium atque Oeſophagi, Nauſea, Vomitus, Febris, Furor, Tumor, Mors.

163. D. ſtrictus. *Rolander in Abhandl. d. ſchwed. Acad. d. Wiſſ. l. c. f. 2.*
Locus: Surinami colles argillacei in ſyluis humilioribus. *Frutex.*
Qualitas: baccar.
Vis: antecedentis.
Effectus: — —

TRIGY-

PAEONIA.

** P. officinalem, venenorum numerum institutis obſeruationibus, virulentam illius indolem in apricum proferentibus, demum ingreſſuram, nunc ſolum ſubuenenatam dixerim; ſiquidem radicis odor grauis, narcoticus, illi florum congruens, et fugax iſtius acrimonia florumque ſapor narcoticus, amaricans, et ſeminum vis emetica et cathartica id maxime ſuadent.

THEA.

164. Th. Bohea. *Geſchichte des Thees und Kaffees aus dem Engl. des* I. C. LETTON *und* I. ELLIS *viberſetzt cet. mit Kupfern. Leipzig, 1776.*

β. Th. viridis.

Locus: Chinae, Iaponiae, Siram? Turequin? praecipitia, valles et ripae apricae.

Arbuſcula vel arbor, peregrina.

Qualitas: (florum acris; capſul. ligneae aromatica, ingrata; ſemin. oleoſa; cortic. amara); folior. maxime recentium et aëre exſicca-

164. *Theae* volatile principium (hoc enim abeunte adſtringens ſolummodo eſt) ſimiles cum opio, licet debiliores edit effectus. —— Tuſſis et haemorrhagiae, hic recenſitae, adcidebant in hypocauſto puluere *Theae* ſubtili circumuolitante repleto ſe ſe tenentibus illamque vario modo tractantibus. —— Sinenſes Infuſo *Theae viridis*, vtpote *Bohea* damnoſioris, abutentes diabete conſumuntur.

exſiccatorum ſuaueolens, amara, herbaceo-ſtyptica.

Vis: narcotica, relaxans, diuretica; Infuſi recentiori folio parati calideque adſumti anodina, ſomnum diſſipans, ſubantiſeptica, adſtringens.

Effectus: *cum Infuſi, tum Euaporationis*: Nauſea, Spaſmus, Cardialgia, Vertigo, Mentis Exhilaratio, Cephalalgia, Angor, Agrypnia, Imbecillitas, Tremor, Puſillanimitas, Melancholia, Inſenſibilitas, Aphonia, Memoriae Lapſus, Paralyſis, Haemoptoe, Tuſſis in Phthiſin abiens, Diabetes, Mors lenta.

DELPHINIVM *).

165. D. Staphiſagria. *Blackw. t. 265.*

Locus: Candiae, Iſtriae, Dalmatiae, Calabriae, Apuliae, Cretae, Galloprouinciae, Languedociae lapidoſa.

Annua vel biennis, manſueta.

Qualitas: ſemin. foetida, amara, nauſeoſa, acris, inhaerens.

Vis: calida, draſtica, anthelminthica, phthiriaca, vaporoſa.

Effectus: Nauſea, Alui Fluxus cum Suffocationis metu, Tremor, Senſuum Abolitio, Inflammatio, Conuulſio, Paralyſis, Mors.

ACONI-

*) *Delphinii* genus ſuſpectum. *D. elatum* boues in Anglia necare Cl. MILLERVS narrat; attamen flores ab apibus viſitantur.

ACONITVM *).

166. A. Lycoctonum. *Tournef. inst. t. 240. Besl. eyst. aest. 25. f. 2. Blackw. t. 563. Gmel. sib. 4. 188. t. 81. Iacq. austr. t. 380. Bulliard herb. de France t. 63.*

Locus: Alpes Lapponiae, Heluetiae, Austriae, Italiae, Germaniae. *Perennis, cicur.*

Qualitas: totius plant. potissimum radic. acris; *Napello* debilior.

Vis: subnarcotica, phthiriaca.

Effectus: Dolor ardens, Vertigo, Mors. Toxicum sagittarium.

167. A. Napellus. *Act. Stoch. 1739. 41. t. 2. Blackw. t. 561. Knorr. del. t. E. Iacq. austr. t. 381. Zorn. ic. t. 49. Garid. aix. 7. t. 2. Bulliard herb. de France t. 45.*

Locus: Heluetiae, Bauariae, Galliae, Germaniae, montosa, humidiuscula; vt et borealis Asiae et Americae. *Perennis, cicur.*

Quali-

*) *Aconita* potissimum acria sunt, parum narcotica. Praecipuas species tantum retuli; eiusdem efficaciae sunt: *A. pyrenaicum*, *A. Anthora*, *A variegatum*, *A. vncinatum*, et procul dubio *A. Lycoctoni* varietas —— vel species singularis —— flore caeruleo (*Fl. dan. t. 123.*) in Heluetiae alpibus habitans. Etiam alia adhuc *varietas* inuenitur flore pallide - rubro. *A. Lycoctoni* radix necat lupos, canes, feles; et decoctum aquosum mures, muscas, cimices et pediculos equorum atque pecorum exstirpat.

167. Cultura, exsiccatione, aetate prouectiore expulsisque partibus volatilioribus eius virulentia infringitur. Etiam pollen prauae stirpis naribus adtractum nociuas exserit vires. —— Errant, qui huius effectus *Aconito Cammaro* adscribunt.

Qualitas: herbacea, ſubſtyptiptica, nauſeoſa, *Aconitorum* acerrima, praecipue radicis.

Vis: corrodens, veſicans, vomitoria, draſtica, conuulſiua, vertiginoſa, ſternutatoria, pellens, ſudorifera.

Effectus: Dolor pungens, Ptyaliſmus, Eroſio, Exulceratio, liuidus Tumor, Vomitus, Cardialgia, Diarrhoea, Tormina, Tumor Abdominis, Ardor Encephali, Dolor formicans totius corporis atque Frigus, Dolor multarum partium arthriticus, vagus, Ophthalmia, Scotomia tranſitoria, Paralyſis, Adfectus ſoporoſi, Proſtratio Virium, Deſipientia, Delirium, furioſum, Spaſmi, Anxietas, Lipothymiae, Pulſus Turbatio, Livor, Sudor frigidus, Mors ocyus ſeriusque. Eadem ſuccus vulnere adplicatus profert ſymptomata. — Vel florum odor non nullis Lipothymiam et Viſus Abolitionem duo et tres dies durantem inducit.

168. A. pyrenaicum.

Locus: Tartaria, Sibiria et Pyrenaeae alpes. *Perennis.*

Qualitas:

Vis:

Effectus:

169. A. Cammarum. *Riu. t. 129. Iacq. auſtr. t. 424.*

Locus: Stiriae, Taureri, Auſtriae, Italiae, Bohemiae montes vmbroſi. *Perennis, cicur.*

Quali-

Qualitas: *Napelli*, ſed eo debilior.
Vis:
Effectus:

POLYGYNIA.

CIMICIFVGA.

** C. foetida vi ſua emetica et cathartica foetoreque ſtupefaciente veneni ſuſpicionem ſubit.

AQVILEGIA.

** A. vulgaris ſemina, quae ad variolas expellendas, icterum ſanandum et puerorum ſcabiem adhibentur, infantes necaſſe, obſeruauit LINNE.

NIGELLA.

** N. quaedam e. g. *damaſcena*, *ſatiua*, *aruenſis* ſubuenenatae videntur; inprimis ſemina illarum maiori doſi deglutita.

ANNONA.

170. A. muricata. *Iacq. obſ. 1. 10. t. 5. Merian. ſur. t. 14. Pluk. alm. 31. t. 134. f. 2. et 32. t. 135. f. 2. Sloan. hiſt. iam. 2. 106. t. 225. Comm. hort. 1. 133. t. 69. Plum. gen. 43. t. 143. f. 1.*
Locus: America calidior, Surinamum.
Arbor.
Qualitas: flor. graueolens.
Vis:
Effectus: a flore deglutito lethalis; fruct. Colica Paſſio.

ANEMONE.

171. A. Pulſatilla. *Fl. dan. t. 153. Ludw. ect. t. 119. Kniph. cent. t. 4. Knorr. del. 2. t. A. 7. Helw. pulſ. 62 t. 8. Zorn. t. 76. Bulliard herb. de France t. 49.*

Locus: Europae borealis campi, ſylueſtres, exaridi collesque aprici.

Perennis, vulgaris.

Qualitas: fol. caul. et flor. acris; rad. ſubacris, dulciaria.

Vis: corrodens, rubefaciens, veſicans.

Effectus: Dolor ardens, pungens; Vomitus, phthiſis? Herbam floresque oues et caprae carpunt.

172. A. pratenſis. *Fl. dan. t. 611. Helw. pulſ. 65. t. 11. et 66. t. 12. Stoerk. de vſu pulſ. nigr. cum icone.*

Locus: Scaniae, Germaniae campi pratenſes, aprici, aridi. *Perennis, vulgaris.*

Qualitas: folior. caul. et flor. vix odora, acerrima, inhaerens, veſicans tota.

Vis: reſoluens, ſaliuans, alexipharmaca; maſticat. linguam et fauces rodens.

Effectus: Emeſis. — —

173. A. palmata. *Moriſ. hiſt. 2. 425. ſ. 4. t. 25. f. 3.*

Locus: Luſitania ad Tragum. *Perennis.*

Qualitas: praecedentis; rad. ſimul nauſeoſa.

Vis:

Effectus: — — (acris radicis) Dolor et Conſtrictio Pharyngis.

174. A. ſylueſtris. *Bulliard herb. de France. t. 59.*

Locus: Germaniae, Heluetiae, Palatinatus, Sueciae, Sibiriae montes, ſicciores, lapidoſi, collesque. *Perennis, infrequens.*

Qualitas: et

Vis: ſequentis.

Effectus: — — A bobus intacta relinquitur, et eam ſi tuburcinantur, Dyſenteria et Haematuria contracta contabeſcunt.

175. A. nemoroſa. *Fl. dan. t. 549. Bulliard herb. de France t. 2.*

Locus: Europae nemora, aſpera, dura prataque verna. *Perennis, frequens.*

Qualitas: inodora, amaricans, acris, praecipue radicis.

Vis: corrodens, veſicans, calida.

Effectus: Vomitus, Dyſenteria, Anxietas, Mors. — Et hanc *Anem.* depaſcentes oues et pecora Haematuria, Dyſenteria et inteſtinorum Inflammatione adficiuntur.

176. A. ranunculoides. *Fl. dan. t. 140. Kniph. cent. 1. t. 5.*

Locus: Europae borealis nemora et confinia prata. *Perennis frequens.*

Qualitas: praecedente ardentior; petiolor. acerrima; multo magis radicis.

 Vis:

175. Externe adplicatur ad pedum clauos erodendos, ſed nocet.

176. Quamuis forte plures ſpecies venenatae ſint; tamen dubitaui hiſce *A. narciſſifloram* et *faſciculatam* addere.

Vis:

Effectus: — — Toxicum ſagittarium ipſis immanibus cetis lethale.

CLEMATIS.

177. C. Vitalba. *Bulliard herb. de France t. 89. Besl hort eyſt. aeſt. ord. 6. t. 5. f. 2. Sabb. hort. rom. 4. t. 40.*

Locus: Virginiae, Iamaicae, Italiae, Hiſpaniae, Galliae, Germaniae ſepes ſyluarumque frutices.

Perennis, vulgaris.

Qualitas: tot. plant. recent. ardens; flor. ſimul ſuaueolens.

Vis: Excorians, veſicans.

Effectus: Inflammatio, Alui Fluxus cet.

178. C. Flammula. *Knorr. del. 1. t. l. 9. Lob. ic. ſtirp. 1. f. 1. Sabb. l. c. t. 41.*

Locus: Italiae, Galloprouinciae, Monſpelii, Ienae, Rhaetiae ſepes. *Perennis, cicur.*

Qualitas: antecedenti acrior. digitis trita acerrimo odore nares ferit illis admota.

Vis:

Effectus:

179. C. erecta. *Iacq. auſtr. t. 291. Stoerk. libell. de Flamm. Iouis t. 1. Zannich. venet. t. 159.*

Locus: Hungariae, Auſtriae, Pannoniae, Tatariae, Monſpelii, Heluetiae colles ſteriles, aprici. *Radix perennis, cicur.*

Quali-

179. *Cl. Flammula* et *erecta* aqua elicitur ſpiritus aduſti inſtar feruida.

Qualitas: fol. flor. in primis recentium, praecedentibus acrior; herb. ficc. herbacea, acriufcula, diu inhaerens.

Vis: diuretica, fudorifera, laxans, veficans. Folia recentia mafticata fauces linguamue rodunt, diutius in ore retenta fauces fubinflammant.

Effectus:

180. C. integrifolia. *Iacq. auftr. t. 363. Sabb. l. c. t. 42.*

Locus: Tartaria, Hungaria, Auftria, Sibiria. *Perennis, cicur.*

Qualitas: fere antecedentis.

Vis:

Effectus: — — Equis Dyfenteriam excitat faepiffime lethalem.

ADONIS.

** Adonidis vernalis vires dubiae funt, fed *A. capenfis* tota fepticae acredinis eft.

RANVNCVLVS. *)

181. R. Flammula. *Fl. dan. t. 5. Bulliard herb. de France t. 15.*

180. Nec reliquarum fpecies aliquot hac acredine excipiendae videntur.

*) Omnes *Ranunculi* acredinem, iuniores et in humidis crefcentes damnofiorem alunt, ope deftillationis aquae admifcendam, et exficcatione, aut alia praeparatione expellendam, mitigandam aut plane domandam. Quorum praecipuas fpecies, de quibus obferuationes et experimenta conftant, hic expofui.

Locus: Totius Europae paſcua vda.
Perennis, vulgaris.
Qualitas: herb. maxime iunioris, magisque ſeminis acris.
Vis: veſicans, exulcerans.
Effectus: — — Ouibus inteſtinorum Inflammationem et Hydropem adfert mórtiferam; equorum hepar corrumpit, vtpote in quo veſiculae aqua repletae ſuboriuntur.

182. R. reptans. *Fl. lapp. 236. t. 3. f. 5. Amm. ruth. 80. t. 13. f. 1. Fl. dan. faſc. 2. t. 108.*
Locus: Suecia, Lapponia, Ruſſia, Heluetia, Germania ad ripas lacuum, aquas ſtagnantes et in pratis humidis.
Qualitas: } *Vis:* } *Effectus:* } Habitu praecedenti tam adfinis, vt a non nullis varietas illius habeatur, etiam vires eaſdem poſſidere videtur.

183. R. Lingua. *Fl. dan. t. 754.*
Locus: Europae borealioris foſſae, aquae, limoſa. *Perennis, minus frequens.*
Qualitas: folior. et ſemin. *Flammula* acrior.
Vis: cauſtica.
Effectus:

184. R. gramineus. *Bulliard herb. de France. t. 123.*
Locus: Montes Pyrenaei, Galliae prata nuda.
Perennis, rarior.
Qualitas: rad. praecipue florum praecedentium.

Vis:

Vis:
Effectus:

185. R. Ficaria. *Fl. dan. t. 499. Ludw. ect. t. 51. Blackw. t. 15. Zorn. ic. t. 66. Bulliard herb. de France t. 43.*
Locus: Europae vmbrofa, fpongiofa, culta. *Perennis, vulgaris.*
Qualitas: rad. auftera, acefcens, tunc amaricans, naufeofa et ante florem maxime acris, alias ceteris mitior. Aqua ftillatitia primaria eft feruidiffima, *Sinapeos* fapore.
Vis:
Effectus:

186. R. Thoia. *Iacq. Vind. 249. obf. 1. 25. t. 13. Iacq. auftr. t. 442.*
Locus: Heluetiae, Auftriae, Galliae, Italiae er Pyrenaeae alpes. *Perennis.*
Qualitas: tot. plant. *R. fcelerato* virulentior; radic. tamen vix fapida.
Vis:
Effectus: Infuperabilis Torpor cet. — Toxicum fagittarium.

187. R. abortiuus.
Locus: Virginia, Canada.
Qualitas: acerrima.
Vis: draftica, emetica.
Effectus:

185. Vfus cibarius cautior effe debebat. — Terra pingui crefcens mitior deprehenditur.

188. R. sceleratus. *Gmel. sib. 4. 203. t. 83. f. a. Fl. dan. t. 571. Blackw. t. 259. Bulliard herb. de France t. 47.*

Locus: Totius Europae fossae et paludes.
Annua, infrequens.

Qualitas: tot. plant. inprimis iunioris acerrima; maxime floris vel potius germinis illius.

Vis: reliquorum — saliuam mouens.

Effectus: Pruritus, Dolor ardens, Inflammatio, Excoriatio, Vlcera; *interne* Dolores arthritici, Angina, Ptyalismus, Cardialgia, Anxietas, Ventriculi Languor et Inertia, Singultus, Tormina, Lipothymiae, Spasmi oculorum, faciei, abdominis et artuum, Sudor frigidus, saepe Mors.

** Et R. platanifolius acris est; nec

** R. asiaticus semper sine acredine.

189. R. illyricus. *Iacq. austr. t. 222. Hort. Aichst. pl. vern. fol. 13. f. 1.*

Locus: Italiae, Narbonae, Languedociae, Hungariae, Sclauoniae, Oelandiae, Austriae agri. *Perennis.*

Qualitas: praecedentis.

Vis:

Effectus:

190. R.

188. Siccatus pecoribus innocuus est, sed recens illis, inprimis ouibus morbum istum, *kaltes Feuer* quem dicunt, infert, plerumque lethalem.

190. R. alpeſtris. *Iacq. auſtr. t. 110. Segu. ver. 1. 489. t. 12. f. 1.*

Locus: Alpes Galliae, Auſtriae, Heluetiae.
Perennis.

Qualitas: reliquorum.

Vis: draſtica, veſicans — —

Effectus:

191. R. bulboſus. *Fl. dan. t. 551. Bulliard herb. de France t. 27.*

Locus: Europae totius prata, paſcua.
Perennis, vulgaris.

Qualitas: *R. ſceleratí.*

Vis:

Effectus:

192. R. polyanthemos. *Lob. ic. 666.*

Locus: Europae borealis graminoſa et ſyluae.
Perennis.

Qualitas: ſequenti mitior.

Vis: veſicans.

Effectus:

193. R. acris. *Knorr. del. 1. t. H. 1. 2. Crantz. auſtr. 114. n. 10. t. 4. f. 2. Bulliard herb. de France t. 109.*

Locus: Europae prata, paſcua.
Perennis, frequens.

Qualitas: fere illa *R. ſcelerati*, praecipue germinum.

Vis:

Effectus: *(Temporibus impoſitus)* immanis Ardor, Animi Deliquia, Artuum (quibus et externe

externe adplicatus) Immobilitas, Vlcera pertinacia.

194. R. aruensis. *Fl. dan. t. 219. Bulliard herb. de France 1. 116.*

Locus: Europae australioris agri humidiores. *Annua, vulgaris.*

Qualitas: praecedentis, radice et potissimum semine, quorum acritas, cito euanescens, innoxia est, exceptis; sed germin! —

Vis: caustica, vesicans.

Effectus: Tumor labiorum, linguae et interni oris, Dolor immensus et stupor Dentium ingratus; sed sero effectus edit. Canem paruum succi herba expressi Vncia vna ori infusa occidit.

195. R. muricatus. *Alpin. exot. 263. t. 262.*

Locus: Europae australis, Belgiae fossae et humentia. *Annua, cicur.*

Qualitas: R. scelerati.

Vis:

Effectus:

TROLLIVS.

** T. europaeus, qui plurimis brutis pabulo est, acredinem fouet, et radix prauos edidisse effectus accusatur. *T. asiaticus* in Sibiria, *Aconiti* et *Delphinii elati* instar, heroicum habetur pharmacon, obstinacibusque opponitur morbis.

** Ranunculus hederaceus etiam acris est.

196. R. aquatilis. β. *Pluk. alm. 311. t. 52. f. 2.* γ. *Col. ecphr. 1. 315. t. 316.* δ. *Fl. dan. t. 376.*

Locus: Europae aquae vndoſae, foſſae, riuuli.
Perennis, frequens.

Qualitas: reliquorum, inprimis pl. tenerior. aut flor. recent. — Acrimonia huius et praecedentium ratione loci natalis notabiliter variat.

Vis: veſicans.

Effectus:

HELLEBORVS.

** Helleb. hyemalis ſuſpectus eſt, radix enim ad *H. nigri* qualitates adcedere dicitur.

** Helleb. viridis, cuius radix — monente Ill. SCHREBERO (*Linn. mat. med. edit. IV. p. 163*) — *H. nigro* amarior, acrior magisque nauſeoſa eſt, etiam viribus ſuperior eſſe videtur.

197. H. niger. *Schmidel. ic. pl. et analyſ. part. Iacq. auſtr t. 201 Blackw. t. 505-508. Knorr. del. 1. t. N. 6. Hill. anat. t. 1. Bulliard herb. de France t. 33.*

Locus: Aſia minor, Apenninae, Pyrenaeae, Hetruriae, Auſtriae alpes aſperae.
Perennis, manſueta.

Qual.

197. Radix *H. nigri* in Heluetiae montibus habitantis, vel in Oriente culti validior eſt illa in Gallia cet. creſcentis, GEOFFROI et TOVRNEFORTO teſtibus.

Qualitas: rad. potiſſimum corticis et fibrillarum, reiecta radicis medulla, acris, amaricans, ſubnauſeoſa, inhaerens, foetida; ſiccatae blandior.

Vis: purgans, pellens, veſicans. Odor ptarmicus.

Effectus: Diarrhoea, Vomitus, Enteritis, violenta Sternutatio, Stupor, Arthritis, Mors. Radix recens maſticata linguam obſtupefacit acredine. — Toxicum ſagittarium.

198. H. foetidus. *Blackw. t. 57. β. Moriſ. hiſt. 3. 460. ſ. 12. t. 4. f. 7. Bulliard herb. de France t. 71.*

Locus: Europae auſtralis, Angliae, Germaniae, Heluetiae, Palatinatus montes ſyluoſi, lapidoſi. *Perennis, manſueta.*

Qualitas: rad. ſubinſipida; fol. acris, tetra; praecedente fortior?

Vis: purgans, emetica, anthelminthica.

Effectus: Hypercatharſis, Mors.

CALTHA.

** C. paluſtris pecoribus, bubulis, capris et ouibus gratiſſima (quod alii tamen negant referuntque *Caltham* pabulo admixtam, vehementem ſudorem mouere, inteſtinorumque vlcera inducere) ob amaram ac ardentem acrimoniam in pharmaci ſuſpicionem cadit; nec forte innocuus eſt vſus cibarius cum radicis, tum floris adhuc inexplicati.

Claſſis

CLASSIS XIV.

DIDYNAMIA.

ANGIOSPERMIA.

DIGITALIS.

199. D. purpurea. *Bulliard herb. de France t. 21. Fl. dan. t. 174. Blackw. t. 16. Riu. t. 104. β. Knorr. del. 1. t. f. 9. 10.*

Locus: Europa auſtralior, Auſtria, Heluetia. *Biennis, cicur.*

Qualitas: capſular. ſeminal. ſemin. totiusque plantae amara, acris. Decoctum.

Vis: rodens, purgans.

Effectus: Nauſea, vehementes Vomitus, Oeſophagi Conſtrictio ſpaſtica, Singultus, Diarrhoea, interdum Ptyaliſmus, rarius Mors.

200. D. lutea. *Iacq. hort. t. 105. Sabb. hort. 2. t. 88. Moriſ. hiſt. 2. 479. ſ. 5. t. 8. f. 5. Riv. t. 105. Bulliard herb. de France t. 65.*

Locus: Galliae, Italiae, Heluetiae ſabuloſa. *Perennis.*

Qualitas: praecedentis.

Vis:

Effectus:

BETONICA.

** B. officinalis. Foliorum odor narcotico-balſamicus, ſapor nauſeoſus, calidus eſt; recentia narcotica dicuntur, ſiccata ptarmica ſunt; radix nauſeoſa emetica eſt; hypercatharſin excitaſſe dicitur. An?

PEDIC.

PEDICVLARIS.

** P. paluſtris, ardenti acredine notata, qua capris quamuis eſculenta, ſaepius tamen pecoribus buceris lethalem mictum cruentum infert, venenis inſerenda videtur.

ANTIRRHINVM.

** A. Cymbalaria quoddam pharmacon, *Poudre de ſucceſſion*, quod dicunt, quondam ingreſſa fertur; anne reliquis ingredientibus virus potius tribuendum erat?

** A. minus, cuius herba eſt amara, nauſeoſa, quondam ad philtra paranda adhibebatur.

** A. Orontium, cuius folia acria et amara ſunt, LINNEVS ſuſpectum pronunciauit.

BIGNONIA.

** Variae *Bignoniae* ſpecies, inprimis *B. crucigera* et *radicans* venenatae habentur.

CLAS-

CLASSIS XV.

TETRADYNAMIA.

SILIQVOSA.

CLEOME.

201. Cl. gigantea. *Iacq. obſ. 4. 1. t. 76.*
Locus: Guinea. *Frutex.*
Qualitas: (ſapore) vrentiſſima, (odore) viroſiſſima.
Vis:
Effectus:

** Tetradynamiſtarum maxime ſolo humido vel tempeſtate eiusmodi creſcentium pluri-mis, ſed recentibus et potiſſimum illarum ſeminibus, etiam ſiccis, principium quoddam eſt acre, volatile. e. g.

ERYSIMVM.

** E. officinale; folia maxime caulis ſuperioris acerrima ſunt, vt cuti impoſita veſicas interdum eliciant, ſemina acriora ſunt.

RAPHANI.

** R. Raphaniſtri folia et ſemina praecedenti acriora ſunt.

SINAPIS.

** S. nigra tuſa vel Cochleariae Armoraciae maior doſis et vſus frequentior ſpaſmos oris, naſi, oculorum vt et totius corporis excitat. *Sinapi* abutentes moroſos et melancholicos fieri dicunt.

CRAMBES.

** Cr. maritimae turiones, illis *Asparagi* similes, in *Spinachiae* modum parati eduntur; non autem plantae aetate prouectioris folia, tenacissima enim sunt et vertiginem creant.

CLASSIS XVI.

MONADELPHIA.

POLYANDRIA.

SIDA.

202. S. asiatica. *Rumph. amb. 4. 29. t. 10. Rheed. mal. 6. 2. t. 4. Pluk. phyt. 196. f. 5.*

Locus: Indiae aquosa: Iaua, Baleya.

Subfrutex.

Qualitas: seminis.

Vis: soporosa.

Effectus: seminis Vncia vna in Turcia adhibetur ad somnum conciliandum, ex quo non euigilant homines, nisi ipsorum nares aceto confricentur.

BARINGTONIA.

203. B. speciosa. *Suppl. pl. 313. Sonnerat. guiu. t. 8. 9. Rumpf. amb. v. 3. 179. t. 114.*

Loc.

203 Consultum et commodum duco, venena pisces obstupefacientia vel necantia, quae hodie innotuerunt nobis omnia, hic loci singulatim recensere, quae sunt:

1) *Verbascum Thapsus*, ab Italis *Barbasco* nominatum, qua voce omnia pisces in ebriantia insigniuntur; semen huic fini inseruit. —— *V. thapsoides* (*Thapsi* varietas) et *V. phlomoides* easdem possident vires.

2) *Iacquiniae armillaris*, arbusculae in insularum Caribaearum: Curacao, Martinicae, Carthagenae cet. syluis et fruticetis a mari non ita longe remotis habitantis, folia et frondes in aquas iniiciuntur.

3) *Cerbera Ahouai* vid. n. 62.

 4) *Da-*

Locus: inter Tropicos plerumque ad littora Oceani, fluminum oſtia in India orientali, ab oris auſtralioribus Chinae per omnes inſulas Moluccas vsque ad Taheiti, Marchionis et Mendozae inſulas Maris Pacifici.

Arbor.

Qua-

4) *Daphne foetida* (*Suppl. pl. 223.*) in inſulis Maris Pacifici, Taheiti. *Forſt.*

5) *Paullinia pinnata*, in inſ. Caribaeis habitans piſces necat. *Plum.*

6) *Sapindus Saponaria. Id.*

7) *Rhododendron dauricum.* Florum piſtilla piſces inebriare dicuntur.

8) *Euphorbia Eſula* (*n. 144. not.*) et *E. hiberna. n. 148.*

9) *Aſſae indicae* (*Houttuyn. Pfl. ſyſt. 4. 41. t. 26. f. 1.*) arboris vel fruticis ad oras inſularum Amboinenſium frequentis cortex, cuius odor fortis idem fere, qui piſcibus eſt, tuſus, cineribus mixtus et aquis iniectus piſces non inebriat modo, ſed et necat.

10) *Lepidium Piſcidium. Forſt.*

11) *Robinia Nicou. Aubl. guian.* 772. In Guiana. *Aubl.*

12) *Piſcidia Erythrina*, arbor in India occidentali, Iamaica et America auſtrali habitans; cortex, inprimis radicis, ramuli et folia tuſa atque in aquam demerſa piſces minores necat, maiores ſenſu et motu priuat, ita vt in ſuperficie aquae reſupini natent; exceptis Muraenis. Homini innocua eſt. —— An et *Piſcid. carthaginenſis* piſces obſtupefaciat?

13) *Phaſeolus ſemierectus.* Semina venenata et piſces ſtupefacientia dicuntur.

14) *Cytiſus?* fruticoſus erectus villoſus, fol. pinnatis, ſpicis terminalibus *Brown. iam. 296.* Surinam-poiſon. In Iamaica. *Brown.*

15. *Galega cinerea.* In Guiana.
—— *litoralis.* In Inſulis Maris Pacifici *Forſt.*

16) *Gre-*

Qualitas: nucleor. —
Vis: inebrians.
Effectus: — — Piſcatores nucleos, quibus eadem, ac *Piſcidiae*, *Galegae* et *Coculo* cet. vis eſt, eſcae admixtos, piſcium ſtupefaciendorum cauſſa in mare abiiciunt.

16) *Grewiae orientalis*, arboris, quam Bandae in hortis colunt, folia contuſa, cineribus commiſta, per noctem in vaſe clauſo ſeruata et dein manibus trita in aquas proiiciuntur; inde piſces mortui in conſpectum veniunt. Ceterum folia, nec hominibus, nec volucribus nociua, oues et hirci depaſcuntur.

17) *Meniſpermum Cocculus*. Piſces a puluere baccarum vertiginoſi et attoniti fiunt, tandemque pereunt vid. n. 243.

18) *Bailleria aſpera. Aubl. gu. 806.* In Guiana. *Aubl.*

CLASSIS XVII.

DIADELPHIA.

DECANDRIA.

ABRVS.

204. A. precatorius. *Sloan, iam. 70. hist. 1. 180. t. 42. f. 4. 5. 6. Pluk. alm. 294. t. 214. f. 5. Rumph. amb. 5. 57. t. 32. Rheed. mal. 8. 71. t. 39. Alp. aegypt. 40. t. 40. Linn. Pfl. syst. 184. t. 27. f. 3.*

Locus: Indiae orientalis: Aegypti, et Americae calidae argillosa, lapidosa.

Frutex, mansuetus.

Qualitas: semin. rubra, alba et flaua. Herba dulcis innocens est.

Vis: drastica, emetica.

Effectus: Anxietas, Conuulsiones, Mors. Semina 3-4 mortifera sunt.*) HERM.

SPARTIVM.

** Sp. purgans, acre drasticum et emeticum dicitur, vt et *Sp. scoparium.*

DOLICHOS.

** D. vnguiculatus. Fructus, rite praeparati ferculum praebentes, crudi insalubres et pecoribus toxici sunt.

** D. ensiformis, qui in Iaua insulisque vt reliquarum specierum multae esitatur, semina BROWNE venenata dixit.

I 3 LA-

*) Semina ab Aegyptiis cocta edi ALPINVS adfirmat. An coctione innoxia reddantur? An erret Celeberr. Vir?

LATHYRVS.

** L. Cicera et Satiuus venenoſis ſtirpibus iure adnumerari non poſſunt, quum panis ex illorum ſeminibus coctus, aliquod temporis ſpatium continuo adſumtus, nec ſenſorium commune, nec aliam corporis partem adficiens multoque minus mortem adferens, ſolum modo ſequentia procreat ſymptomata: Genua quam maxime flectuntur et ad ſe inuicem adcedunt cum maximo rigore; titubant aegroti pedibus extremis innixi, talis eleuatis incedentes femur, tibiam pedemque vna mouere coguntur, perinde ac ſi omnes dictae partes inter ſe concreuiſſent. Quae ſymptomata vt plurimum ſubito miſeros corripiunt, nullo praenunciante dolore; interdum tamen quaedam imbecillitas et moleſtus ſenſus circa genua praecurrunt. Feminae adultae fere ab hacce miſeria liberae manent. Cauſſa longe vero ſimillima omnino eſt materiae terreſtris, qua ſemina iſta multum ſcatent, quaue illorum vſus humores refarcit, depoſitio inter genuum articulos, oſſibusque ipſis adcreſcentis.

ERVVM.

** Er. Eruilia. Panis ex huius ſeminum et tritici inuicem mixtorum farina coctus, BINNINGERO et VALLISNERO teſtibus, quibusdam hominibus pedum debilitatem induxit, ita vt absque fulcimento erecti pedi-

bus insistere nunquam poterant; quod et ipsis equis, totam plantam deuorantibus adcidebat. Columbis semina minus nociua dicuntur; gallinae vero intensa ingluuiei expansione pereunt.

CYTISVS.

** Cyt. Laburni folia magisque semina vehementius per inferiora purgant et superiora.

PHACA.

** Ph. baetica. Semina masticata linguae et oesophagi vehementem inflammationem incendere feruntur.

CLAS-

CLASSIS XVIII.

POLYADELPHIA.

POLYANDRIA.

HYPERICVM.

205. H. bacciferum. *Suppl. pl. 344. Aubl. guian. 784. t. 311.*

Locus: Surinamum. *Frutex l. arbor.*

Qualitas: ſucci inſpiſſat. quo tota planta ſcatet, viſcida, lutea.

Vis: Gumm. Guttae.

Effectus: — —

205. Gallis loco *G. Guttae* in vſu eſt. —— Plures *Hyperici* ſpecies huiusmodi laticem continent.

CLASSIS XIX.

SYNGENESIA.

POLYGAMIA AEQVALIS.

LACTVCA.

206. L. Scariola. *Moris. hist. 3. 58. s. 7. t. 2. f. 17. Barr. ic. 135. Herm. parad. t. 191.*

Locus: Europae australioris, Heluetiae, Germaniae aggeres, sepes. *Annua, cicur.*

Qualitas: sequentis. Odor minus virosus.

Vis: — —

Effectus: — —

207. L. virosa. *Moris. hist. 3. 58. s. 7. t. 2. f. 16.*

Locus: Europae australioris, Angliae, Argentorati aggeres, sepes. *Biennis, cicur.*

Qualitas: herb. tetra, amaricans; lactis simul acris. Succus inspissatus inflammabilis est, Opii succedaneus, etiam odore Opium mentiens.

Vis: calida, anodina, hypnotica, antispasmodica.

Effectus: Opii, forte tamen ab eo oriundis debiliores — vel euaporatio Vertiginem excitat.

Carli-

207. Herbae incensae fumo animi caussa naribus excepto D. LISTER se veluti consternatum et vertigine subita correptum et eodem plane modo adfectum sensit, quo solent, qui *Nicotianae* fumum haurire adgrediuntur.

CARLINA.

** C. acaulis radix vomitum et diarrhoeam interdum mouens, canes, porcos et mures trucidare dicitur.

ARTEMISIA.

** In caſtris quibusdam Moſcauiticis equorum, in regione magnam *Artemiſiae Abſinthii* copiam alente, paſcentium multi periere.

ERIGERON.

** E. viſcoſum. Folia acria et narcotica capras interimunt; idemque *E. graueolens.* concernit.

DORONICVM.

** Dor. Pardalianches, quod Arnica montana longe ſuperat efficacia, innocens eſt; nec C. GESNERVS hac planta, quae deglutita ingratam modo ventriculi ſenſationem, inflationem illius et corporis languorem Magno Viro excitauit, ſed peſte abreptus eſt. Saepiſſime herbam, cuius ſapor et aromaticus et grate acris eſt, vt et radicem recentem et ſiccatam frequenter, palato ſuo quaſi indulgens, ſine vllo incommodo deglutiuit.

EVPATORIVM.

208. E. faſtidioſum. *Rottboell. Act. Hafnienſ. 1778. 298.*
Locus: Surinamum.
Qualitas:
Vis: venenata.

MONOGAMIA.

LOBELIA.

209. L. Tupa. *Fewil. peruv. 2. 739. t. 29.*
Locus: Peru.
Qualitas: herb. et rad. lacteſcens.
Vis: venenatiſſima.
Effectus: Floris odor ſolus Vomitus excitat horrendos; Caecitas a ſucco oculis inlato.

210. L. longiflora. *Iacq. hort. t. 27. Sloan. iam. 58. t. 101. f. 2. Plum. ſpec. 3. ic. 253. f. 1.*
Locus: America auſtralior, India occidentalis: Iamaica ad ripas. *Annua, manſueta.*
Qualitas: lacteſcens, acris, linguae ſenſum ardoris inprimens; flor. adorifera.
Vis: irritans, inflammans, veſicans, venenatiſſima.
Effectus: Interne ſumta Hypercatharſin creat nullis remediis cedentem, tandemque lethalem. Cadaueris inteſtina gangraenoſa adparent. Succo eius infecta manus, ſi oculos fricat labiaque, inflammationem inducit vrentem. *Iacq. amer. 220.* Quando

do in hybernaculo ſtat, vbi aër non renouatur, atmoſphaeram effluuiis implet pulmonum et odoratus organo infeſtis, vt ibidem cum difficultate quis permaneat. *Iacq. hort. 1. 10.* Folia equis lethalia eſſe feruntur. *Iacq.*

211. L. Cardinalis. *Moriſ. hiſt. 2. 466. ſ. 5. t. 5. f. 54. Knorr. del. 2. t. L. 2. Hern. mex. 879. t. 880.*
Locus: Virginia. *Perennis, manſueta.*
Qualitas: acris.
Vis: ſeptica.
Effectus:

212. L. vrens. *Bulliard herb. de France t. 9. Moriſ. hiſt. 2. ſ. 5. t. 5. f. 56. Bocc. 20. t. 11.*
Locus: Gallia, Hiſpania, Italia, Germania. *Annua, cicur.*
Qualitas: lacteſcens, acris, inprimis radicis.
Vis: cauſtica.
Effectus: Inflammatio oris Gangraena.

** Lobeliae plures deleterias ſpecies autumo. Etiam *L. ſyphiliticae* radicem in maiori doſi lethalem eſſe adfirmant.

VIOLA.

** Viol. quarumdam e. g. paruiflorae (radices habitu virtuteque *Ipecacuanhae* ſimillimas habentis *Suppl. pl. 396.*) *Ipecacuanhae, diandrae* vis emetica cet. cui non nullarum

odor

odor obſtupefaciens adcedit, ſuſpicionem mouet.

IMPATIENS.

** Imp. Nolitangere. Huius herba cuti impoſita rubefaciens eſt; aquae deſtillatae maior doſis diabetem inducit. Non nulli herbam per vomitum et aluum purgare, immo perniciofam et deleteriam eſſe aiunt.

CLAS-

CLASSIS XX.

GYNANDRIA.

POLYANDRIA.

SERAPIAS.

** S. latifolia. Herba viribus cum *Helleboro nigro* conuenire creditur.

ARISTOLOCHIA.

** A. Anguicida. Totius plantae odor ingratus, nauſeoſus eſt: radix amara, foetida, ſucco coloris aurantiaci repleta. Saliuae, maſticata radice viribus iſtius impraegnatae, gutta vnica vel aliquot ori ſerpentis, non tamen adeo magni, immiſſae illum ſtupidum et paralyticum reddunt, vt tuto poſſit manu comprehendi; aliquot horis tamen elapſis ad ſe redit; plures autem guttae ſubito ſerpentem in tremores et totius corporis conuulſiones coniiciunt et interimunt. Vel odorem plantae huius ſerpentes fugiunt. Homines guttas non nullas impune deglutiunt, ſed maior doſis, ipſo celeberrimo IACQVIN autumante, periculoſa ne ſit, verendum eſt. — *Ariſtolochiae* plures ſpecies e. g. *A. rotunda, longa, Clematitis cet.* deleteriae habentur.

PISTIA.

** P. Stratiotes. Haemorrhagias a potu aquae, in qua copioſe creſcit, praeſertim menſibus ſiccio-

ſiccioribus, oriri (*Brown. iam. 330.*) legitur. Alii herbae vires adſtringentes adſcribunt, in patria ſua interne et externe ad haemorrhagias ſiſtendas adhiberi prodentes.

ARVM.

213. A. Dracunculus. *Sabb. hort. 2. t. 76. 77. Moriſ. hiſt. 3. ſ. 13. t. 5. Bulliard herb. de France t. 73. Weinmann. t. 472. 1. b.*

Locus: Europa auſtralis. *Perennis.*

Qualitas: flor. foetida; ſucci, inprimis radic. acerrima.

Vis: ſeptica, rubefaciens, veſicans.

Effectus:

214. A. Dracontium. *Blackw. t. 269. β. Pluk. alm. 52. t. 271. f. 2.*

Locus: Americae ſeptentrionalis humida. *Perennis.*

Qualitas: praecedentis.

Vis:

Effectus:

215. A. muſciuorum. *Suppl. pl. 410.*

Locus: — — Hortus Vpſal.

Qualitas: flor. cadaueris inſtar foetida.

Vis: — — (*vid. Act. holm.*)

Effectus:

213. Omnibus *Aris* acrimonia temporis progreſſu in aërem auolans feculamque inertem relinquens ineſt.

216. A. Colocasia. *Catesb. car. 2. t. 45. Col. ecphr. 2. t. 1. Rumph. amb. 5. 313. t. 109.*

Locus: Cretae, Malthae, Candiae, Cypri, Syriae, Aegypti aquosa. *Perennis, peregrina.*

Qualitas: praecedentium.

Vis:

Effectus:

217. A. esculentum. *Sloan. hist. 1. 167. t. 106. f. 1. Rumph. amb. 5. 318. t. 110.*

Locus: India occidentalis, America. *Perennis.*

Qualitas: reliquorum, folior. subdulcis, postea subacris.

Vis: — — folior. diuretica, eccoprotica.

Effectus:

218. A. trilobatum. *Herm. par. 79. t. 78. Comm. hort. 1. 97. t. 51. Mill. dict. t. 52. f. 2. Rumph. amb. 5. 320. t. 110. f. 2.*

Locus: Zeylona. *Perennis.*

Qualitas: tot. plantae feruida, mordax.

Vis:

Effectus:

219. A. maculatum. *Mill. dict. 1. ic. t. 52. Fl. dan. t. 505. Blackw. t. 228. Sabb. hort. 2. t. 74. Knorr. del. 2. t. A. 11. Zorn. ic. t. 75. Bulliard herb. de France t. 25.*

Locus: Europae australioris, Heluetiae, Germaniae subhumida, vmbrosa.

Perennis, cicur.

Quali-

217. *A. esculentum* a suibus crudum sine noxa deuorari dicitur.

Qualitas: radic. prima vere vel poſt deflorefcentiam effoſſae inodora, lacteſcens, amylacea, primum inſipida, mox intenſe pungens, inhaerens, fol. et flor. acrior.

Vis: antecedentium; diuretica, reſoluens cet.

Effectus: Vomitus cruentus, Cardialgia, lethalis.

220. A. virginicum.

Locus: Americae ſeptentrionalis: Virginiae, Penſyluaniae humida. *Perennis.*

Qualitas: praecedentium. Etiam baccae valide vrent.

Vis:

Effectus:

221. A. ouatum. *Rumph. 5. 312. t. 108. Rheed. mal. 11. 45. t. 23.*

Locus: India: Amboina, Surinamum cet.

Qualitas: fol. foetidiſſima.

Vis: venenatiſſima, cauſtica.

Effectus: Primis labris deguſtatum Intumeſcentiam Maciemque, e qua raro contingit, conualeſcere, inducit. — —

222. A. arboreſcens. *Plum. amer. 44. t. 51. get. 60.*

Locus: America meridionalis.

Qualitas: reliquorum.

Vis:

Effectus:

220. Sues, huius radicibus, quas auide vbicunque effodiunt, valde delectantur.

221. Adultum a pecoribus intactum relinquitur; tenellum inter gramina deliteſcens gregem auidum nuperque clauſtris emiſſum morte plectit, ſi qua deuoratum eſt copia.

Effectus: — — Foliorum vel trunci frustulum, quod Nigritae pro poena ore tenere saepius coguntur, apice linguae degustatum vehementem excitat dolorem, tumorem atque ptyalismum.

223. A. seguinum. *Iacq. amer. 239. t. 151. Mill. ic. t. 295. Plumer. amer. 44. t. 60. 51. h. fil. 195. h.*

Locus: Americae, Iamaicae humidiora.
Caulescens.

Qualitas: acerrima, teterrima.

Vis: corrodens, inflammans, venenata.

Effectus: Succus summis labris degustatus Mutitatem per aliquod tempus inducit, linguaeue supra modum inflammationem, teste SLOANE.

DRACONTIVM.

224. D. foetidum. *Catesb. car. 2. t. 71.*

Locus: Virginiae, Carolinae, Zeylonae, vmbrosa, paludosa, aquosa. *Perennis.*

Qualitas: Allii instar foetidissima, acris, mordacissima.

Vis: Ari maculati.

Effectus: Faucium Adstrictio. — Cephalalgia a solo odore.

224. Pecora folia non adtingunt; sed vrsi ex hybernaculis redeuntes vere in radicis esu acquiescunt.

CLASSIS XXI.

MONOECIA.

POLYANDRIA.

BVXVS.

** B. ſemperuirens. Foliorum, quae ſunt nauſeoſa, amara, Drachma vnica purgat. — Cameli *Buxum* libenter paſcuntur, ſed ſubito pereunt, HANWAYO in itineribus ſuis per Perſiam inſtitutis obſeruante.

IVGLANS.

** I. regia. Internus trunci cortex, et radicis vehementer purgare et emeſin excitare dicitur.

FAGVS.

225. F. ſyluatica. *Lob. ic.* 2. *160.*
Locus: Europae ſyluae. *Arbor, vulgatiſſima.*
Qualitas: nucum oleoſa, farinacea, adſtringens.
Vis: nuc. potiſſimum virentium narcotica.
Effectus: Torpor, Triſtitia, Imbecillitas, Cephalalgia, Febris acuta, Hydrophobia lethalis.

ADELPHIA.

CROTON.

** C. tinctorium ſuſpectum eſt; nam *Torna ſolis caerulea* et *lacca caerulea*, quae ex eo con-

225. Vel ipſos ſues initio harumce nucum eſu turbulentos reddi et tandem obdormiſcere adſerunt.

conficiuntur occultam acredinem fouent eamque vehementem; masticata initio insipida, sed post aliquot momenta, licet omnem salivam curiose exspueris, ardor in faucibus suboritur vehemens, continens, totumque collum interdum occupans. Antiquiores chirurgi lacca hacce vel succo ad verrucas vt septico vtebantur.

226. C. Tiglium. *Burm. zeyl. 200. t. 90. Rumph. amb. 4. 98. t. 42. Rheed. mal. 2. 61. t. 75.*

Locus: India orientalis: Zeylona.

Arbuscula, peregrina.

Qualitas: radic. inprimis corticis illius, ligni recent. foliorum (quae vt ceteris partibus debiliora, delibata linguam vellicant et adurunt) granor. nauseosa, acerrima.

Vis: emetica, drastica, exurens.

Effectus: Hyperemesis, Torsiones Ventris, Hypercatharsis cruenta, Ani Excoriatio, Hecti-

226. Aues semine *Tiglii*, in esca exposito, degustato illico sopitae et stupidae decidunt, et auidius deglutito moriuntur; nec minus pisces. Etiam folia cum fructu contusa et oleum (cuius gutta vnica vel aliquot in vmbilici regione illinitae purgant, et quo etiam Crocodili Caymanes interimuntur) aucupiis et piscationi deseruiunt. Sed oleum, quia vis feruida et drastica granorum cuticulae solum inest, semine decorticato pressum acre est; semina epidermide liberata amygdalarum dulcium loco esitantur. —— Seminum et ligni vis aetate frangitur. —— Iure plura *Tricocca*, quo et *Tiglium* pertinet, suspecta habentur.

Hectica mortalis, Inflammatio Inteſtinorum, Sitis vehementiſſima, Animi Deliquia, Mors.

** Cr. lacciferum. Omnium partium odor aromaticus eſt. Foliorum et radicis infuſum ſuperne et inferne purgat.

227. C. aromaticum. *Rumph. amb. 3. 197. t. 126.*
Locus: Zeylonae litora. *Arbuſcula.*
Qualitas: folior. praeſertim ſole calefactorum odor grauis, ingratus, ad vaccarum vrinam adcedens, acris. Laccam fundit.
Vis:
Effectus: Caput adgrauat.

IATROPHA.

** I. goſſypifolia ſuſpecta eſt. Attamen folia in colica ſicca interne et in clyſteribus adhibentur.

228. I. Curcas. *Iacq. hort. 3. t. 63.*
Locus: Surinamum, Braſilia, Iamaica.
Frutex vel arbor, fera.
Qualitas: adſtringens, viroſa; ſucc. turbide-aquoſa; ſem. oleoſa, ſubinſipida.
Vis: vrens, inflammatoria, draſtica, emetica.
Effectus: Emeſis, Profluuium Alui, Tormina, Inteſtinorum Eroſio et Inflammatio.

229. I.

228. Semen dimidium ἄνω et κάτω purgat. PRYON. *in* BVRM. *fl. ind. 306.* Nuclei a tribus ad ſex adſumti purgant, plures vomitum mouent. IACQ. *hort. 3. 136.* Etiam tres vel quatuor ſuperne et inferne quadrageſies purgaſſe relatum legi.

229. I. multifida. *Breyn. cent. 116. t. 53. Moriſ. hiſt. 3. 348. ſ. 10. t. 3. f. vlt. Dill. elth. t. 173. f. 213.*

Locus: America meridionalis. *Frutex ferus.*

Qualitas: nuc. praecedentis; etiam folior. et petiolor. acris, amara; ſucci, quo omnes partes ſcatent, flaueſcens.

Vis:

Effectus: a folior. decocto Diarrhoea, Emeſis.

230. I. Manihot acris. *Sloan. hiſt. 1. 130. t. 85. Plük. alm. 241. t. 205. f. 1. Mer. ſurin. 4. f. 4. 5. Tourneſ. inſt. 658. t. 438.*

Locus: America auſtralis. *Arbuſcula, fera.*

Qualitas: ſucci viſcida, acerrima; praeſertim radicis.

Vis: conuellens.

Effectus: Mors ſubita, Conuulſiones vehementes, Tumor Abdominis, ſubitus Languor.

RICINVS.

231. R. communis. *Ludw. ect. t. 7. Blackw. t. 148. f. 1. 2. Mill. ic. 219. Merian. ſurin. 30. t. 30. Canu. monogr. t. 1. Zorn. ic. t. 131.*

Locus: Temperatum coelum IV. orbis partium. *Annua, manſueta; biennis; perennis.*

K 3 *Quali-*

230. *Manio* (quae vera denominatio eſt, non *Manihot*) *acris, Iatrophae Manihot dulcis* varietas, rite praeparata eidem, vt *M. dulcis,* innocuo Americanis alimento eſt. Succus (etiam aliis animalibus: auibus, porcis, ouibus cet. quoque externe adplicatus deleterius, quibus tamen hoc toxico enectis impune veſcuntur) fermentatione eneruatur.

Qualitas: fucci acris, amara; cotyledon. fubadftringens, oleofa.

Vis: draftica, inflammatoria; folior. purgans; olei expreffi laxans, anthelminthica.

Effectus: Alui Fluxus, Vomitus, Inflammatio Inteftinorum, Gangraena.

HIPPOMANE.

232. H. Mancinella. *Iacq. amer. t. 159. Catesb. car. 1. t. 95. Slcan. iam. 129. hift. 2. 3. t. 159. Comm. hort. 1. 131. t. 68. Pluk. phyt. 142. f. 4.*

Locus: Infulae Caribaeae, et continens Americae calidae ad mare. *Arbor, peregrina.*

Qualitas: totius arbor. potiffimum cortic. et pulpae fruct. lactefcens, acerrima; fruct. vifcida, grate acefcens, tunc acris.

Vis: cauftica, exurens, veficans; lintea corrodens.

Effectus: externe Pruritus, Erofio, Inflammatio, Gangraena, Coecitas temporanea vel permanens; *interne* Calor vrens in ore, oefophago, ventriculo, cum Tumore inflammatorio, Sudor frigidus, Animi Deliquium, Mors. Succus crudus olim toxicum fagittar. praebuit.

233. H.

232. An drupa edatur a cancro *Ruricola L.* inde venenato? —— Lintea fucco maculata, lotione foraminata adparent. —— Attamen femina grauida huiusmodi fructum fine noxa deglutiuit; et alia tres. An vera?

233. H. biglandulosa. *Iacq. amer. 249. t. 158. Plum. gen. 50. ic. 171. f. 2. Pluk. alm. 369. t. 229. f. 8. Linn. Pfl. Syst. 2. 390. t. 16.*

Locus: America calidior: Carthagenae sylvae, sepes, insulae, Barbados. *Arbor.*

Qualitas: omnium partium lactescens, viscida, vrens.

Vis: venenata.

234. H. dioica. *Rottboell. Act. Hafniens. 1778. 301.*

Locus: Surinamum. *Arbor.*

Qualitas: lurida, lactescens.

Vis: venenatissima.

Effectus:

HVRA.

235. H. crepitans. *Hort. cliff. 486. t. 34. Comm. hort. 2. 131. t. 66. Trew. ehret. 34. 35. f. 1.*

Locus: Mexico, Guayana, Iamaica. *Arbor, fera.*

Qualitas: lactis sauciatis ramis defluentis acerrima, calorem in ore excitans. *Brown. 352.*

Vis: drastica, emetica.

Effectus: Nuces 1 - 2 seruis Nigritis scopo purgandi datae pene lethales fuerunt. AVBL. — Succus in oculos illapsus excoecat post octiduum.

MOMORDICA.

236. M. Elaterium. *Sabb. hort. 1. t. 64. Blackw. t. 108. Dod. pempt. 663. f. 2. Bulliard herb. de France t. 81.*

Locus: Europa auſtralis: Italia, Narbona, Sicilia. *Annua, ſubcicur; perennis.*

Qualitas: rad. ſucc. amariſſima, nauſeoſa.

Vis: emetica, draſtica, pellens, abortiua.

Effectus: Periculoſiſſimae Euacuationes cet.

CVCVMIS.

237. C. Colocynthis. *Blackw. t. 441. Sabb. hort. 1. t. 70.*

Locus: Syria, Alepo.

Annua, perennis, manſueta.

Qualitas: pulpae fructuum amariſſima, nauſeoſa, acriuſcula (odor debilis, ingratus); ſemin. amygdalina, dulceſcens, pinguiuſcula.

Vis: draſtica, emmenagoga, abortiua, anthelminthica.

Effectus: Hypercatharſis ſaepe cruenta, Hyperemeſis, Tormina, inteſtinorum Inflammatio, Exulceratio, Mors.

238. C. prophetarum. *Iacq. hort. 1. t. 9. Blackw. t. 589.*

Locus: Arabia. *Annua, cicur.*

Qual.

Qualitas: amara *cet.* fere *Colocynthidis.*
Vis:
Effectus:

** C. maderaſpatani fructus, ad oram Coromandel creſcentis, qualitate *Colocynthide* convenire; alii vero ſaporis grati, ad fructus *Perſicae* adcedentis, eſſe dicunt.

BRYONIA.

239. B. alba. *Blackw. t. 533. a. b. Knorr. del. 1. t. Z. 2. Fl. dan. t. 813.* β. *B. dioica. Iacq. auſtr. t. 199. Blackw. t. 37. Mill. ic. 71 Sabb. hort. 1. t. 58. Bulliard herb. de France t. 55.*

Locus: Europae pagi et ſepes.
Perennis, infrequens.

β. — — — *rarior.*

Qualitas: rad. recent. turion. acris, amara, nauſeoſa, ſubſtyptica, lacteſcens; baccar. mitior. Fecula iners.

Vis: purgans, pellens, reſoluens, anthelminthica, ſubnarcotica.

— β. fortior eſſe videtur.

Effectus: Vomitus, Hypercatharſis, Inſania, Stupor, Scotomia, Anxietas, Vertigo, forte et Mors.

239. *Bryoniae* omnes eiusdem indolis ſunt.

DIOSCOREA.

** D. triphyla. Radicis ſuccus acerrimus cutem vehementi adficit pruritu, ſaepe cum ſubſequente epidermidis desquamatione. Interne non mortem quidem, tamen anxietatem et vertiginem intulit.

CLASSIS XXII.

DIOECIA.

TRIANDRIA.

EXCOECARIA.

240. E. Agallocha. *Rumph. amb. 2. 235. t. 79. 80.*
Locus: Insulae Moluccae in rupibus ad mare sitis: Amboina, Ternate. *Arbor.*
Qualitas: succi, quo tota arbor turget, quemve sauciata circa circum spargit, acerrima, lactescens.
Vis: inflammans cet.
Effectus: *extern.* Vehementissimi Dolores, Inflammatio, Tumor; Ophthalmia, Coecitas.

PENTANDRIA.

CANNABIS.

241. C. satiua. *Mill. dict. ic. t. 77. Rumph. amb. 5. t. 180. Blackw. t. 322. a. b.*
Locus: India orientalis: Iaponia, Persia. *Annua, cicur.*
Qualitas: sem. subfatua; cort. folior. magis succi et fumitatum, ac maxime pollinis (quo Indi opium adulterare feruntur) halituosa.

Vis:

241. Pereunt pisces, in quorum aquis *Cannabis* maceratur. Scythae, *Cannabis* seminibus lapidi feruefacto impositis vaporem, inde adscendentem, inspirando se se inebriant et stupefaciunt. Secta Mystica in Aegypto degens a cannabis foliis et aqua conficit electuarium, cuius circiter Drachmam vnicam vel duas, siue interdum maiorem quantitatem quinquies sumunt; hora prima elapsa ebrii et deliri fiunt.

Vis: exhilarans, inebrians, dementans, ſoporrifera.
Effectus: Narcoſis.

ENNEANDRIA.

MERCVRIALIS.

242. M. perennis. *Fl. dan. t. 400.*
Locus: Europae montes nemoroſi.
Perennis, infrequens.
Qualitas: herb. acris.
Vis: hypnotica, ſtupefaciens, purgans.
Effectus: Vehement. Vomitus et Alui Fluxus, Ardor Encephali, Dolores arthritici, Sopor, interdum Mors.

DECANDRIA.

CORIARIA.

243. C. myrtifolia. *Angl. hortul. 64. t. 20. f. 1. Lob. ic. 2. 98.*
Locus: Monſpelium, Italia, Hiſpania.
Frutex.
Qualitas: folior. maxime baccar. vaporoſa.
Vis: conuulſiua, ſtupefactiua.

Effect.

242. Etiam ouibus, non ita capris perniciofa eſt.

243. Folia et aſinis, capris, ouibus vertiginem, conuulſiones, ſenſuum abolitionem, interdum lethalem excitant. Folia iuniora et gemmae minus nociua ſunt. Baccae XV. virum eodem die, quo eas adſumſerat, necarunt praegreſſis conſuetis ſymptomatibus, quamuis ſumto emetico VIII - IX. euomuerat. Attamen alii adfirmant, capris Italicis et aſinis Pyrenaicis folia eſſe innocua.

Effectus: Totius corporis Conuulſiones, Anaeſtheſia, Mors.

DODECANDRIA.

MENISPERMVM.

244. M. Cocculus. *Rheed. mal. 7. t. 1. f. 1. Pluk. alm. 43. t. 13. f. 2. mant. 52. t. 545. f. 2. phyt. 345. f. 2. Rumph. amb. 5. 35. t. 22. Blackw. t. 389.*

Locus: Indiae orientalis: Malabariae, Zeylonae, Iauae, Amboinae et Celebes ſaxoſa.
Arbor, peregrina, fera.

Qualitas: baccar. aut potius nuclei amariſſima, acerrima.

Vis: ſtupefaciens, phthiriaca.

Effectus: Spaſmus, Haemorrhagia, Nauſea, Hyperemeſis, Hypercatharſis, Lipothymia; Mors ni hominum, ſaltim brutorum.

MONADELPHIA.

IVNIPERVS.

** I. Sabina ſnſpectus videtur.

TA-

244. Quatuor grana auidiſſime a iuuene comeſta nauſeam, ſingultum et animi anguſtias induxere. —— Baccarum pulvere in eſca expoſito piſces, pſittaci aliaeque aues, crocodili et aliae ferae capiuntur.

TAXVS.

245. T. baccata. *Du Ham. arb. 2. t. 86. Blackw. t. 572. Bulliard herb. de France t. 136.*

Locus: Europae, Canadae montes ſaxoſi ſylvaeque tenebroſae.

Arbor, infrequens.

Qualitas: fol. viſcida, mucoſa; baccar. inſipida; ſem. amara.

Vis: irritans, ſanguinem reſoluens, narcotica?

Effectus: Lethalis Emeſis (frond.)? Diarrhoea, Febris ardens, Strangulationis ſenſus; Frigus vniuerſale (ſem.); Cephalalgia (exhalatione)? — Saltim iumentis, capris et ouibus frondes deleteriae ſunt.

245. Pueri corpus, deglutitis baccis rubris, fere totum lividae maculae absque febre occupabant petechiales cum liquaminis rubri vomitu ſubitaque virium proſtratione, quae XIV diebus poſt ſine vlla mentis perturbatione mors excipiebat tranquilla; cadauer diſſectum ventriculum vix inflammatum, et muco nigricante obductum monſtrabat. Interdum vero baccae impune deglutiebantur ab infantibus; et in Anglia a ſuibus, vt glandes deuorantur. Aues a baccis inebriantur atque a nimia iſtarum copia pereunt.

CLAS-

CLASSIS XXIII.

POLYGAMIA.

MONOECIA.

VERATRVM.

246. V. album. *Mill. dict. 1. ic. t. 271. Bulliard herb. de France t. 149. Gunn. noru. n. 315. t. 1. Iacq. auftr. t. 335. Ludw. ect. t. 137. 138. Blackw. t. 74. Weinmann. t. 528. c. d.*

Locus: Ruffia, Sibiria, Auftria, Heluetia, Italia, Graecia in montofis humidioribus. *Perennis, cicur.*

Qualitas: rad. inprimis recent. acerrima, fubamaricans, fubadftringens, naufeofa, diu inhaerens.

Vis: draftica, emetica, feptica, inflammans, fubnarcotica; femin. debilior.

Effectus: intern. Inflammatio Gangraena, Hyperemefis, Singultus, Hypercatharfis cruenta, Tumor abdominis, Conuulfiones omnium partium, Cephalalgia, Vertigo, Aphonia, Coecitas, Anxietas, Infipientia, Lipothymia, Apoplexia, Refolutio fanguinis, Frigus, Mors, non nunquam, fubita; *extern.* Sternutatio periculofiffima, vehemen-

246. Radicis in caute effoffae effluuia horrendum vomitum excitarunt. Plantam omnes pecudes, vtpote ipfis lethalem, excepto mulo, auide illam inueftigante, auerfari, HALLERVS refert. Delphinatus incolae ouibus fuis *V. albi* paftu venenatis *Helleborum foetidum* vt antidotum praebent. Radix deftillatione fpiritum largitur valide caufticum.

mentes Vomitus (abdomini imposit.) cet.
— Toxicum sagittar.

** V. nigrum *Sabadillae* vires habere dicitur. *V. nigri* cum *V. albo* vno eodemque loco culti, folia a limacibus plane corrodi, minime vero *albi*, MILLERVS adfirmat.

** V. luteum debilius est huiusque nullus prauus effectus innotuit.

** V. Sabadilla, in Mexico habitans, summum quidem et innocuum anthelminthicum ac antiphthiriacum est, nec facile, nisi ad Drachmam dimidiam vel integram datum, ventriculi ardorem, nauseam et vomitum creat; etiam mors, quam praegressis conuulsionibus, remedia adhibita respuentibus, *Sabadilla* intulit cuidam infanti, cuius caput nutrix seminis puluere consperserat, ab irritatione, quam pediculi motibus suis, quos illis semen inducere videtur, conuulsiuis, deriuari potest. Attamen maniam aliosque effectus, quales *Veratrum album* habere solet, produxisse fertur; id qnod omnino verosimillimum est, si semen, quod saporis amarissimi et acerrimi est et masticatum linguam faucesqua acrimonia caustica et pungente sua subito adficit, recens fuerit.

POSSIRA.

247. P. arborescens. *Aubl. guian. 934. t. 355.*
Locus:

Locus: Guiana. *Arbor.*
Qualitas: ſem. acerrima, nauſeoſa.
Vis:
Effectus: Inflammatio, Tumor. AVBL.

ATRIPLEX.

** A. hortenſis antiquioribus ſuſpectus fuit; ſeminum quidem maior copia ſuperne et inferne purgat.

MIMOSA.

248. M. ſenſitiua. *Breyn. cent. 31. t. 16. Trew. ehret. t. 95.*
Locus: Braſilia, Surinamum. *Frutex, manſuetus.*
Qualitas: plant. vel ſucci —
Vis: venenoſa.
Effectus: Mors tardior citiorque; a parua et repetita doſi Acrimonia Humorum, dein Hectica.

** M. pudicae rami et folia venenata eſſe, et Indi artem ex illa venenum lentum parandi callere dicuntur. Cuius vero antidotum quod ſolae radices iſtius foetidae ſint, ſuperſtitionem ſapit. Ceterum nullum animal plantam paſcitur.

249. M. farneſiana.
Locus: Domingo, Surinamum.
Frutex, manſuetus.
Qualitas: flor. halituoſa, foetida.
Vis: narcotica.

Effectus: Animi Deliquium. Sub vmbra fruticis florentis recubantes Lethargo corripi solent, quo postea per totam vitam adfliguntur.

TRIOECIA.

FICVS.

** F. Caricae succus lactescens, septicus, amarus atque fructus immaturi superne et inferne cum torminibus purgant.

** F. Sycomori fructus febrem tertianam inducere TORTI narrat. Attamen alii illis impune vescebantur.

250. F. toxicaria.

Locus: Sumatra. *Arbor.*

Qualitas: fructus — —

Vis: venenatissima. GARCIN.

Effectus:

251. F. grossularioides. *Burm. ind. p. 227.*

Locus: Suratta.

Qualitas: fruct. — —

Vis: venenata.

Effectus:

GRYPTO-

CRYPTOGAMIA.

FILICES.

CYCAS.

252. C. circinalis. *Seb. thes. 1. 39. t. 25. f. 1. Rumpf. amb. 1. 86. t. 22. 23. Rheed. mal. 3. 9. t. 13-21. Linn. Pfl. syst. 1. 74. t. 2. f. 3. 4. Iacq. act. helv. 8. 59. t. 2.*

Locus: India: Insulae Moluccae fere omnes, et circumiacentes; Amboina, inprimis Ceram.

Qualitas:

Vis:

Effectus: Noxio fructuum succo expresso Indi infantes suos sibi molestos tollunt. Ceterum fructus debito modo parati alimentum praebent.

FVNGI *).

AGARICVS.

253. A. Cantharellus. *Fl. dan. t. 264. Schaeff. fung. t. 82. Vaill. parif. t. 11. f. 9. 10.*
β *Vaill. parif. t. 11. f. 11. 12. 13.*
γ — — — *14. 15.*
Locus: Prata, fyluae; Augufto, Septembri. *Copiofus.*
Qualitas:
Vis:
Effectus: Dira Tormina, Diarrhoea.

254. A. integer. *Schaeff. fung. t. 58. rofeus 75. 87. 88; ruber 92; cyanoxanthus 93 et virefcens 94. Buxb. cent. 4. 12. t. 19.*
Loc.

*) Fungi vix non omnes vile praebent edulium, et largius faepiusque comefti prauos generant humores ita, vt temporis tractu fanitati quam maxime obeffe valeant. Eominus me impegiffe credo, fi fungos, alias efculentos, perniciofis inferere non dubitauerim, quum inter omnes conftet, illorum plurimos, et quidem, vt videtur, per aetatem atque ex loci genio noxias adfcifcere qualitates. Quibus adcedit, quod praeter mucum fuum vifcidum, et interdum adftringentem, multis vermium millibus perfaepe domicilio fint, ac etiam ob perbreuem vegetationis terminum citius putrefcant, atque vermes et putredo fungi interanea exedant, externa facie, vt videtur, illaefa. Longe itaque fatius eft, alimento huiusmodi ancipiti carere, quam cum fanitatis et vitae difcrimine in cibum fumere, vtut vfum fungorum cibarium, quorum innocentiam certis fignis definire valemus, plane non interdici velim. —— In Sibiria, Bohemia plurimi fungi paucis exceptis eduntur.

253. Hoc faepe absque noxa cum carnium iure cocto vfus eft ill. HALLERVS.

Locus: Syluae; Auctumno.
Qualitas:
Vis: emetica.
Effectus:

255. A. muſcarius. *Mich. gen. t. 78. f. 2. Schaeff. fung. t. 27. et 28. variet. absque verrucis. A. pſeudoaurantiacus Bulliard herb. de France. t. 122. A. oliuaceus. Schaeff. fung. t. 204.*
Locus: Prata, Syluae; Auguſto, Septembri. *Frequens.*
Qualitas: foetida, acris.
Vis: narcotica.
Effectus: — Cimices necat et eradicat promtiſſime.

256. A. Necator. *Bulliard herb. de France t. 14. A. torminoſus Schaeff. t. 12.*
Locus: Syluae; Auguſto, Septembri.
Qualitas: lacteſcens, acerrima.
Vis:

 Effect.

255. Secundum Cl. OEDMANNI opinionem (Abhandl. der königl. Akad. der Wiſſenſch. 1784. quartal 3.) antiquorum athletarum (Berſekar) ſeptentrionalium rabies furioſiſſima ab eſu huius agarici erat. —— Kamſchadali ex agarico hoc et *Epilobio anguſtifolio* potum parant inebriantem, qui delirium, tremorem, furorem cet. excitat potanti. Etiam muſcae hunc fungum comedentes ſtupidae euadunt, poſt denuo in vigorem reſtituuntur. Feles canesque necauit. Non ſine periculo ab incautis loco *A. aurantiaci* (Bulliard herb. de France t. 120.) ad cibum recipitur; an inde *A muſcarius* verus in Ruſſia, Germania et Gallia, vt relatum legi, edatur?

256. Secundum cl. BVLLIARDVM, LINNAEVS aliique hunc cum *A. delicioſo* confuderunt.

Effectus: Linguam adurit cet. — Ab inſectis non tangitur.

257. A. puſtulatus. *Pollich. hiſt. plaut. tom. 3. n. 1158. Paulet. pl. 12.*

Locus: Pineta; Octobri.

Qualitas:

Vis: venenata.

Effectus:

258. A. piperatus.

Locus: Paſcua, Syluae; Auguſto, Septembri, Octobri.

Qualitas: lacteſcens, acris.

Vis: draſtica.

Effectus: Vomitus, Diarrhoea, Lipothymia.

259. A bulboſus vernus. *Bulliard herb. de France t. 108.*

Locus: In ſyluis Galliae; vere.

Qualitas: odoris et ſaporis ingrata.

Vis:

Effectus: Per octo minuta in ore detentus calorem excitat piperis inſtar; plures necauit eo per errorem loco *Agarici campeſtris* in cibum vſos.

260. A. viſcidus.

Locus: Agri, Syluae; Auctumno.

Qualitas:

Vis:

Effectus:

261. A.

258. Editur in Pruſſia et Curlandia.
259. Anne *A. piperatus?*

261. A. clypeatus. *Schaeff. fung. t. 22, 23. Fl. dan. t. 772.*
Locus: Prata ſyluatica.
Qualitas:
Vis:
Effectus:

262. A. fimetarius. *Schaeff. fung. t. 7. 8. 46. 47. Mich. gen. 181. t. 80. f. 3. et t. 74. f. 6. Sterb. fung. 218. t. 22. f. I. K. L. Buxb. cent. 4. 16. t. 27. f. 1.*
Locus: Ad ſepes et fimeta; Septembri.
Qualitas:
Vis: perniciosa.
Effectus:

263. A. ſtypticus. *Bulliard herb. de France t. 140.*
Locus: Lignis putridis inſidet.
Qualitas: ſtyptica.
Vis:
Effectus: Faucium Conſtrictio.

264. A. radicoſus. *Bulliard herb. de France t. 160.*
Locus: Syluae; Septembri, Octobri.
Qualitas: maſticat. acris, deteſtabilis. Suſpectus!
Vis:
Effectus:

265. A. ſanguineus. *Bulliard herb. de France t. 42.*
Locus: Syluae circa Pariſios; Auguſto, Septembri.

Qualitas: Non lactescit, inodorus est, sed tandem odorem ingratum spirat.
Vis:
Effectus: — Linguam adurit et vesicas elicit.

Suspecti sunt:

AGARICUS pileo cucullato, viscido et nigro, petiolo fistulato, candido. *Cartheus. Catalog. pl. sponte circa Giss. nasc. p. 185.*

A. pileo plano, viscido, citrino et splendente, vertice in conum acutum fastigiato, lamellis rarioribus. *Cartheus. l. c. p. 130.*

A. candidus et viscidus ex vna basi multiplex; pileo campanulato, in centro depresso, petiolo cylindraceo, gracili *Cartheus. l. c.*

AMANITA coniformis viscida, lutea (anne *Agaricus dentatus L.*); et

A. globoso-viscida, sordide lutea Dillenii. *Gleditsch. p. 109.*

BOLETVS.

** B. luteus (*Schaeff. fung. t. 114. Dill. giss. 18. t. 10. n. 1. Buxb. cent. 5. p. 7. t. 14. Bulliard herb. de France t. 4.*) odoris aliquantulum sulphurei, mucilaginosus, fere insipidus, suspectus est.

HYDNVM.

** H. repandum. (*Schaeff. fung. t. 141. et t. 318. Fl. dan. t. 310. Dill. giss. t. 1. Mich. gen. 132. t. 72.*

t. 72. f. 3. Bulliard herb. de France t. 172.) initio ſapidum, poſtea acre, ingratum, ſuſpectum eſt.

PHALLVS.

266. Ph. impudicus. *Fl. dan. t. 175. Schaeff. fung. t. 196-198. Act. Stockh. 1732. 20. t. 2. f. 1. Mich. gen. 201. t. 83.*

Locus: Syluae.

Qualitas: acris. Colliqueſcendo foetidiſſimum viroſum halitum exſpirat.

Vis: aphrodiſiaca, abortiua.

Effectus:

267. Ph. Mokuſin. *Suppl. pl. C. a Linn. 452. Act. petrop. v. 19. p. 373. t. 5.*

Locus: China prope Pekin in *Mori* radicibus putridis et ipſis in foliis ſemiputridis. — *Vegetationem intra 12 hor. abſoluit, qua abſoluta flacceſcit et putreſcit.*

Qualitas: ſaepiſſime verminoſa.

Vis: venenata, (anticancroſa.)

Effectus:

PEZIZA.

** P. Auricula, quam alii pernicioſam culpant, eiusmodi indolis plane non eſſe videtur.

268. Bo-

LYCOPERDON.

268. L. Bouiſta.

Locus: Campi ſteriles.

α. L. verrucoſum. *Bulliard herb. de France t. 24. Vaill. t. 16. f. 5-7. Hall. hiſt. n. 2172. A. β.*

Effectus: Puluis, quem exſiccatus reddit, oculis naribusque exceptus violentas Inflammationes excitat. Interne ſumtus venenatus eſſe dicitur.

β. L. pyriforme. *Bulliard herb. de France t. 32. Schaeff. t. 185. Hall. hiſt. n. 2172. B.*

Effectus: Puluis naribus exceptus Sternutationem violentam, Haemorrhagias; oculis inſperſus Ophthalmiam, Epiphoram inducit.

269. L. ſtellatum. *Schaeff. fung. t. 182. Fl. dan. t. 360. Buxb. cent. 2. 45. t. 49. f. 3. Mich. gen. 220. t. 100. f. 1. 2. 3. Rai. angl. 3. 27. t. 1. f. 1. Bocc. muſ. 1. t. 305. f. 4.*

Locus: Colles, ſyluae.

Qualitas: Pollen grauem et foetidum ſpirat odorem.

Vis:

Effectus: — — Pollen oculis inimicum, immo perniciosum cenſetur.

Etiam

268. *Bouiſta* fibras conſtringendo ſanguinem eximie quidem cohibet et cruſtam vulneratis partibus inducit; ſed exedendo et exſiccando conſolidandarum partium reſtaurationi magis officit.

Etiam *Lycoperdon ceruinum, aurantiacum, Carpobolus* et *carcinomale (Suppl. pl.)* ſuſpicionem praebere videntur. Quin non nullis omnia *Lycoperda*, excepto *Tubere*, venenata dicuntur.

FVNGI NONDVM IN SYSTEMATA RECEPTI.

270. FVNGVS phalloides annulatus ſordide vireſcens et patulus. *Bulliard herb. de France t. 3. Vaill. pariſ. t. 14. f. 5. Schaeff. fung. t. 85. 86. Mem. de la Societ. Roy. d. Med. 1776. p. 438. v. et alter pl. 6. f. 1. 2.* Agaricus eſt.

Locus: Pariſi.

Qualitas: Iunior inſipidus et inodorus eſt; adultus fuſceſcit, odoremque cadauero-ſum, intolerabilem exhalat.

Vis:

Effectus: — — Huius Drachma vnica animalibus data poſt quatuor horas inducebat Debilitatem, Suſpiria, Vomitus, totius corporis Tremorem, Mortem.

271. FVNGVS bulboſus cruciformis odoratiſſimus. *Paulet. pl. 10. f. 2. p. 447.*

Locus:

Qualitas:

Vis:

Effectus: Vehementes Dolores colici, Diarrhoea, Mors.

APPEN-

APPENDIX.

PALMAE.

CARYOTA.

272. C. vrens. *Rumph. amb. 1. 64. t. 14. Rheed. mal. 1. 15. t. 11.*

Locus: India. *Arbor, peregrina.*

Qualitas: fructus carnosi acerrima. Multo vehementius vrit, quam fructus *Sagueer* (vid. infra post *Phoen. dactylif.*)

Vis:

Effectus:

COCCOS.

** C. nucifera. Nucis succo intus contento, dulci, mox vero acescenti, abutentes vel ieiuno ventriculo, siue illi non adsueti haurientes molestissimam colicam et paralysin experiuntur.

PHOENIX.

** PHOENICIS dactyliferae fructus, praecipue in Gallia et Lusitania crescentes, immaturi insalubres sunt, ventriculum grauant, obstructiones, colicam aliosque curatu difficiles morbos gignunt.

** SAGVEER (ad genus *Elates* pertinere videtur, vid. *Houttuyn. Pfl. syst. 1. 160. t. 4. f. 2.*), palma, cuius locus natalis est India; Iauae ora orientalis, Insulae Moluccae in vallis vmbro-

vmbrofis, vt et Manada, quae eſt prouincia in inſula Celebs. Fructuum maturorum vel ſemimaturorum (qui conditi gratum cibum praebent) caro ſucculenta ſolo tactu vehementem, ardentem dolorem, et deguſtata labiorum tumorem intenſum et aliquot diebus poſt adhuc dolentem excitat. Etiam aqua, in qua fructus macerati vel putrefacti ſunt, corpori adfuſa ardorem infert vix mitigandum. Indi quondam aqua hacce in defendendis propugnaculis ſuis vſi ſunt et Europaeos illa infuderunt, qui inde aquam iſtam dixere *infernalem.* Dum arbor fructibus ſuperbit, quod ipſi tamen ſemel tantum per totum vegetationis ſuae decurſum contingit, etiam riui et aquae vicinae praeter fluentes a fructibus delapſis temerantur. Vini, ex ſucco, quem ſauciatus truncus effundit, parandi abuſus humores et adpetitum deprauant, pallorem, hydropem, paralyſin (Indis *Beriberi* dictam), aliis acredine ſua haemorrhagias, ebrietatem cum ſubſequente cephalalgia acuta infert. Aues et piſces, qui ſurculis huius palmae, in modum ferruginis adhibitis, infixi torrentur, veſcentibus vertiginem inferunt, et tela ex ligno illius confecta vulnera prauae ſaepe indolis infligant.

** NIBVN vel NIEBOOM *(kleiner Saguaſter ibid.)* in inſulis Moluccis habitans. Fructus caro, vt praecedentis vrit.

MISCELLANEAE.

273. AGALLOCHVM. *Rumph. amb. 2. t. 9. Kaempf. omoen. 903. t. 902. f. 2.*
Locus: China. *Arbor, peregrina.*
Qualitas: ligni lacteſcens, reſinoſa, amara; meditullii trunci amariſſima.
Vis: venenatiſſima, excorians, inebrians, anthelminthica.
Effectus:

274. IATROPS vmbellata. *Rottboell. act. Hafnienſ. 1778. 293.*
Locus: Surinamum.
Qualitas: aromatica, graueolens.
Vis: narcotica.
Effectus: Folia naribus admota Cephalalgiam, Vomitum, Diarrhoeam excitant; folia contrectare incolae metuunt ob foetorem, et poſt vnum alterumque diem ablutioni cedere renuentem.

275. CALCEOLARIA fruteſcens. *Rottboell. act. Hafnienſ. 1778. 298.* An *Viola fruticoſa* aut *Viola Calceolaria L.?*
Locus: Surinamum.
Qualitas: ſemin. amygdalacea, poſt linguam, labia faucesque corrodens et inflammans.
Vis:
Effectus:

276. FRV-

276. FRVTEX excoecans. *Rumph. amb. 4. 129.*
Locus: Amboina, Iaua, Baleya, Celebes ad oras ſyluarum, in vallibus, campis et minoribus ſyluis. *Arbuſcula.*
Qualitas: lactis, vulneratis ramis, et maiori copia petiolis abruptis exſtillantis primum candida, ſicci caeruleſcens.
Vis: *Arbore excoecante* magis toxica.
Effectus: — — Attamen Ternatenſes radicem interne adhibent.

277. VPA Malaiis Iauanisque, IPÙ Macaſſarienſibus. *Kaempf. amoen. p. 575. Miſcell. Acad. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 3. p. 230. Locom. de Mungos in Valentini India litterata p. 542. Goetting. Calend. 1784.* — Habitat in Montibus Inſulae Celebes, aliarumque adiacentium, item Iauae. Arbor *Caryophyllo aromatico* quoad proceritatem et folia ſimilis eſſe dicitur a NEVHOFIO; triplex tamen varietas vel ſpecies arboris exiſtere perhibetur, ſecundum colorem ſucci (fuſcum, rufum et albicantem) et malignitatem differens; KAEMPFER. Arbor omnia circumcirca animalia, immo etiam vegetabilia delere fertur effluuiis venenatis, quare ſuccus, qui fuſcus eſt ſeu obſcure ruber ex eminus vulnerata arbore magno cum periculo arundinibus excipitur, et exſiccatus forma globulorum vel granorum ad regulos Macaſſarienſes defertur, qui eum aqua mollitum, addita *Lam-*

M *pogang,*

pogang, planta Scitaminea, quae *Lampuiang* KOENIG. defcr. monandrarum in RETZII obf. bontan. fafc. 3. p. 62. telorum cufpidibus illinunt. Hoc eft *venenum illud Macaffarienfe* GMEL. *allgem. Gefch. der Pflanzengifte p. 487.*

278. THAPSIA Caefalpina femine candido craffo I. B. *I. Raii hift. pl. 1. 419.* — Radicis fuccus lacteus valde acris eft, vt tractantium et manus et faeies tumefcant.

279. APOCYNVM mexicanum *Trapezentli* dictum feu fpicis Mayzii montani FR. HERNANDEZ *Raii hift. pl. 2. 1089.* — Radix deguftata virus minime ingratum olet, *Paeoniae* fimile; fenfum aliquem caloris, ne dicam vredinis praebet circa guttur. Radicis tufae Drachmae tres ex aqua deuoratae omne humorum genus fupra infraque euacuare dicuntur.

280 PRVNIFERA Malabarica fructu racemofo, paruo, acri, fucco tinctorio Katou-Tfieroe fiue Cheru *H M. 4. t. 9. p. 19. Rai. hift. pl. 2. 1547.* — Succus e fructibus et arboris cortice expreffus tumoribus frigidis adplicatus cutem erodendo ac veficulas excitando eos adperit. Reperiuntur inter Indos, quibus arbor haec noxium eft venenum, atque ex leui eius adtactu totum corpus mirum in modum intumefcit;

mescit; quod symptoma lacte, butyro aut oleo adsnmto protinus mitigatur.

281. FRVTEX brasiliensis baccifer fructu vmbilicato tricocco, Iuniperino simili. Monaca MARCGR. PISON. *Rai hist. pl. 2. 1612.* — Floris odor suanis instar *Violae odoratae;* radix amara, acris corpus nimus violenter superne et inferne mouet, non secus ac *Scammonium* vel *Esula.*

282. ARBOR siliquosa Guinensis lobo spadiceo fusco C. B. Magnus lobus ex Guinea CLVS. Lobus magnus ex Guinea foetidus cum granis arboris Iudae I. B. *Raii hist. pl. 2. 1773.* — Siliquae medulla s. pulpa grauis odoris est, caput ferientis, immo cerebrum offendentis. Grana intus adsumta perniciosa sunt.

283. TANGARAEA I. PISONIS. Erua de Rato MARCGR. Frutex brasiliensis venosus, floribus vmbellatis rubris. Raii hist. pl. 2. 1784. — Flores et folia praesentissima sunt venena. Radix mox exhibita tutum apud incolas remedium.

284. TANGARAEA III. PISONIS. Frutex brasiliens. venosus floribus vmbellatis aureis. *Rai hist. pl. 2. ibid.* — In foliis floribus et seminibus tam alte posita est vis deleteria, vt vel ex leuissimo eorum gustu cor-

pus intumescat, mens turbetur, vertigines animique deliquia oboriantur, denique mors ipsa sequatur, nisi quantocyus praesentissimo remedio obuiam eatur.

285. ANDIRA vulgo Angelyn PISONIS MARCGR. Arbor nucifera brasiliensis fructu oui figura et magnitudine. *Rai hist. pl. 2. 1687.* — Cortex, lignum et fructus, instar *Aloes* amarissimi sunt. Tracto duro putamine nucleus adparet ex albo flauescens, amaricantis et ingrati saporis cum adstrictione quadam, cuius puluis ventris lumbricos expugnat, ea tamen cautione, vt iufra scrupuli pondus exhibeatur, ne medicamentum in venenum abeat!

286. COLOCASIA hederacea sterilis latifolia; rupibus aut arboribus adhaerescit Hederae instar. *Rai. hist. pl. 3. 587.* An *Pothos Palmata* L.? Causticum est satis violentum; degustanti os adeo inflammauit, vt per decem dies omnem saporis sensum perdiderit. Ab incolis *funis vrens* nominatur. habitat in forestis insulae Dominici multis in locis.

287. LAVRIFOLIA arbor venenata, folio acuminato, copiosum lac praebens, ex quo inspissato viscus aucupum paratur. SLOAN. Cat. Iamaic. — Galactoxylon s. arbor

ameri-

americana baccifera, lacteum liquorem ex ligno fundens, qui durus inſtar gummi euadit PLVK. Phytogr. T. 185. f. 1. *Rai. hiſt. pl. 3. 87. ſub titulo: Arbores fructu ſicco.* — Omnibus ſuis partibus copioſo lacte turget et venenoſa admodum habetur. — An *Hippomane Mancinella* L.?

288. STRAMONIVM LVZONIS primum, CLVSIO Datura vel Burladora, Donna bella Hiſpanis. *Rai. hiſt. pl. append. 3. 15.* Radicis contuſae cum vino expreſſum ſuccum hauriens poſt profundum ſomnum aliquot dies manſit attonitus delirando. Oleum ex ſemine preſſum volis manuum inunctum ſomnum conciliat.

289. S. L. alterum. *Ibid.* — Semen in parua doſi ſomnum conciliat. Huius pomum dimidium in vino expreſſum hauriens, dormiuit triduum profunde, ſudore diffluens et ſaepius vrinam reddens, expergefactus quaſi attonitus manſit.

SVSPECTAE.

** Bulbus liliaceus vomitorius Capitis Bonae Spei BREYNII. *Rai. hiſt. pl. 2. 1111.*

Emeticus et purgans eſt.

** Peno abſou, arbor americana I. B. Arbor fructu orbiculari venenato C. B. *Rai hiſt. pl.* 2. *1803.*

** Adamboe H. M. 4. 20. 21. 45. Alcea-indica arborea pericarpia carnoſo in plura loculamenta partito. *Rai. hiſt. pl.* 2. *1902.*
Ex arboris cortice, foliis (quae odoris ſyluestris et ſaporis ſubadſtringentis ſunt) ac floribus cum aqua decoctio paratur, quae pota hepatis, lienis aliorumque viscerum obſtructiones aperit et aquas hydropicorum per aluum et vrinam potenter educit. Semen haud ſecus, ac *Coriandri* ſemen capiti infeſtum eſt, ac vertiginem, ebrietatem ſimilesque effectus producit.

** Katou-Theka-Maruara, H. M. 12 25. Paraſitica indica bulbifera, foliis anguſtis, ſterilis. Maximarum denſiſſimarumque ſylvarum arboribus inſidet vetuſtiſſimis. Rariſſime inuenitur. *Rai. hiſt. pl. 3. 653.* Radix ſiccata, in folliculis repoſita ſerpentes abigit, in puluerem redacta et adſumta veneno reſiſtit ex morſu canis rabidi contracto, vulnera et omnem illorum malignitatem ſanat. Bulbi diſſecti et aſſati omnia apoſtemata reſoluunt. Bubulis venenum eſt; furibundi enim euadunt de ea comedentes.

** Iatrops myristicoides (*Act. Hafniens. 1778. 293.*) Surinami in syluis habitans, amara tonica, emetica est.

** Gumira litorea (*Rumph. amb. 3. 209.*) arbor in Indiae saxosis habitans. Folia, penetrantem odorem spirantia, in olus cocta vertiginem excitant.

** Ichthyoctones Litorea, Aytuy (*Rumph. amb. 3. 213.*), arbor ad litora habitans, cortice vulnerato vel folio abrupto lac spissum exsudans; fructus a nullo animali expetuntur. Incolae corbiculos quosdam recentibus his fructibus grosso modo contusis, cineribusque mixtis, impletos in aquarum occlusos locos deponunt, et aquam tunc fustibus turbant et commouent, donec horum nucleorum spuma obducta sit; tum omnes pisces in illlo loco occlusi semimortui supernatant, impune comedendi Nuclei in fructibus contenti instar Canariorum dulcescunt, et a pueris maturi absque noxa eduntur.

** Ichthyoctones montana, Walan (*Rumph. amb. 3. 214.*) arbor in altis Hiroensium montibus et Toyae densis syluis habitans. Cortex radicis rubrae ad pisces enecandos adhibetur eodem modo, vt de praecedentis fructu dictum est; acri corticis puluere

 piscium

piſcium oculi inflammantur. Piſces ſic ſemimortui capti aquis recentibus, in quibus tamen diu ſeruari nequeunt, immittuntur et tunc ſine nocumento comeduntur. Homines aquae, quae potata oris ardorem excitat, immiſſi, cutis pruritum ſolummodo patiuntur.

** Pomum Hiericonteum *Rai. hiſt. pl. 3. append. p. 25.* Semen piſcationi inſeruit medicae, et Crocodilos necat, vt cocculus Leucanticus.

*   *   *

Venena, quae Indi *Pinang* ſuo (quod eſt maſticatorium et *Nicotianae* ſuccedaneum) admiſcent, faſcinationem et tabem inducentia, nota nondum ſunt.

INDEX.

INDEX
GENERVM ET SPECIERVM VEGETABILIVM VENENATORVM.

Secundum numerum.

Fagus

Phaleris

Santalum

INDEX SVSPECTORVM.

Secundum numerum pagin.

Como-

Katou-

Rumphia

FINIS.

